

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica**

**Schurzfleisch, Konrad Samuel**

**Berolini, 1599 [i.e. 1699]**

XIII. De Rebus Badensibus

**urn:nbn:de:bsz:31-102564**

*iones ac privilegia eius sic in favorem Ducis interpretandae sunt, ut favor Imperii potior habeatur. V. in hanc sententiam Notationes MST. in Notitiam Boecleri.*

### XIII. DE REBUS BADENSIBUS.

Cum de patria mea et diligenter et serio saepe cogito, tum in situs erga eam amor fidesque me admonent, quid mei muneris officiique sit, quando non modo crimen ingrati effugere omnibus modis studeo, sed etiam mihi gratulor, inde oriundum esse, ubi et magnae res coeptae sunt olim et confectae. Equidem Principes Germaniae dedit consilio ac virtute maximos, natura optimos, indole mitissimos, ac vel ob fortitudinem in bellis pro Germania susceptis honorificentissime appellandos. Qui cum summa nominis meritorumque dignitate et fama reipublicae causa odia atque inimicitias susceperunt, et hostibus vel audacia, vel potentia fretis summa ratione constantiaque restiterunt, et iam olim Gallis Italisque sub imperatorum Romanorum signis capita fortunasque suas obiecerunt, et res auctoritate suae stirpis dignas auspicio ductuque suo effecerunt, ut vel ita ostenderent, in Germania se esse aborigines, (a) et plane tales, ut neque excelsissimo honori suo, neque patriae saluti unquam deesse vellent: quae etsi omnia in aperto sunt, tamen non committam, ut per silentium pietatis meae oblitus esse videar.

(a) *Vel imperiti sunt priscarum originum, quas serio seduloque iam perquirere, vel iniqui et levitate quadam in errorem adducti, qui Serenissimae Marchionum Badensium familiae externum decus patriamque externam quaerunt. Illos credulitas decepit ac ingenii vanitas: hos malitia corrumpit, quibus adeo in tantum irascor, in quantum veritati et patriae meae servio. Stirpem tamen esse multo antiquissimam, omnes consentiunt, sed unde originem duxerit, plerique sine causa dubitant, inter quos sunt Martinus Crusius, vir quidem indagandae Svevorum antiquitatis studiosissimus, sed, quod citra eius famae meritorumque invidiam dixerim, in Badensibus rebus paulo negligentius versatus, sic tamen, ut non sequatur eorum inconsultam temeritatem, qui quasi certum id exploratumque sibi esset, affirmare sunt conati. Existimantur, inquit, (a Marchione Veronensi) descendisse Marchiones Badenses, annal. Svev. dodec. secund. l. 9 part. 2. c. 18 p. 266. Quod ex priscis probatisque monumentis non hausit, sed ex Sebastiano Münstero per impudentiam saepissime lapsus arripuit, qui tamen nibilo certiora de iis originibus cognita habuit, neque eam sententiam tanquam suam, sed tanquam ab alio proditam adduxit l. 3. c. 264. l. 3. c. 278. Quod iudicio est, errorem esse ante oculos positum, quem nulla veterum tabularum auctoritate*

tueri potuit, sed ut ab aliis hominibus sane ad fabulas credendas pronis accepit, ita sine  
 gravi sufficientique ratione est amplexus. Hunc secutus Crusius, multos opinione eru-  
 ditionis famaque sua illuc induxit, praecipue eos, quibus difficile ac nimis taediosum  
 fuit fontes principiaque huius historiae contemplari. Vtrosque mea quidem opinio-  
 ne decapit Petrus de Andlo, qui imperante Friderico III. duos libros de imperio Ro-  
 mano edidit, l. i. c. 15. scriptor illius aevi non ignobilis, sed non semper accuratus et soli-  
 dus, interdum etiam fabulosus, in quibus extant Marquardi Freberi commendatio-  
 nes. Petri de Andlo applausor fuit Franciscus Irenicus, qui Maximiliani I. aetate  
 multum studii industriaeque ad Germanicam historiam attulit. Is vero eo audaciter  
 progressus est, ut affirmaret, se vidisse literas, quibus doceatur, Badenses ex Italia in  
 Germaniam venisse, exegel. German. l. 3. cap. 102. Cum quo sine dubio sentire vo-  
 luit VVolfg. Lazius, haud alioqui a fabulis alienus, quod fere crederet, imminui  
 Germanorum laudes, nisi a Romanis et Troianis derivarentur, de migrat. gent. l. 8.  
 p. mih. 396. et 404. Contrarium demonstro 1. ex antiquo fragmento, in quo legi,  
 Marchiones Badenses ex antiquissimis Zaringiae ducibus esse oriundos. 2. ex neces-  
 situdine Habsburgica, quam in gente Zaringia mutuo contraxerunt; neque enim ipse  
 Lazius negare potuit, Zaringios ab Habsburgiis esse oriundos, ibidem p. 395. 3. De  
 origine, quam comminisci solent, ex urbe Veronensi, quae quondam regni Italiae, nunc  
 Veneti iuris finibus continetur, non modo nil tradit diligens rerum Veronensium  
 scriptor Torell. Saraina, sed ne quidem in priscis incorruptisque Sueviae monumentis  
 eius fabulae ullum vestigium reperitur. 4. Nulla Principum Germaniae familia hodie  
 in Germania est, cuius maiores virilis stirpis ex Italia sint arcessendi, si Gwelfi ab  
 Aetelinis oriundi excipiantur. Nam quod nuper de familia Austriorum a P. L. pro  
 asserenda Alberti Argentinenfis sententia proditum est, l. 2. bibliob. august. Pro-  
 leg. id plane non possum probare, et scio, Agilolfingicarum originum scrutatoribus, et  
 ipsis superioribus Austriae scriptoribus displicere. Similiter ex hac dubitatione expe-  
 dire se non potuit Christophorus Befoldus, vir alioqui iurisconsultissimus et histo-  
 riae peritissimus, in thesauro pract. in V. Bad. March. caute id negotium tractavit  
 Iohannes Iacob. Speidelius, quippe qui eius decidendi pondus in Iohannem Lin-  
 naeum contulit, specul. iurid. polit. in V. eodem. Verum Linnaeus, usu peri-  
 tiaque rerum Germanicarum per se magnus, illud in medio relinquit, sententias Petri  
 de Andlo et VVolfgangii Lazii enumerasse contentus, iur. publ. l. 5. c. 5. Neque accu-  
 ratiore huius originis rationes iniverunt. Phil. Knipschild, Matthaeus Stepha-  
 ni, qui sine dubio in Petrum de Andlo intuentes, in eumque desixi hoc tale prodi-  
 derunt, ille in erudito opere de fidei commissis, hic de iurisdictione, quos eo magis  
 puto excusandos, quia fide aliena scripserunt. Nec ab iis vestigiis discesserunt  
 genealogiarum scriptores Hieronymus Henninges, et eum fere sequi-  
 tur Elias Reusnerus, qui ab Hermanno Comite Veronensi et Paduano originem  
 stirpis, nullo verae antiquitatis documento reperunt, ille t. 3. part. 1. pag. 239.

*hic βασιλικῶν p. 511. Eiusdem sententiae fuit Rudolphus Diephold geneal. hist. p. 105. Paulus Henznerus itinerar. p. 21. qui non quod ipsi certis indicis exploraverunt, sed quod ab aliis traditum acceperunt, enarrare voluerunt.*

§. II. Principio magnum patriae meae, et *Serenissimis* posteris suis decus lumenque attulit Hermannus, primus Badae Marchio, (b) idemque Hermannus Marchionis Hochbergae filius, et avito iure multorum Brisgoiae praedictorum haeres. Qui procreavit Hermannum huius nominis II. Principem multis magnisque laboribus domi et militiae perfunctum: cuius singularem prudentiam non minoris aestimare debeo, quam summam fortitudinem, qua ita eminuit, ut aequè apud finitimos, ac apud externos celebraretur. Is ex Bertha coniuge suscepit Hermannum III. praesentia animi, studio in imperatorem, reiisque publicae amore nemini secundum. Quo factum est, ut non solum plurimos suae aetatis Principes fama meritisque anteiret, sed etiam Friderico AENobarbo. Sveviae nostrae duci quondam ac Romanorum imperatori augusto manu consiliisque operam probaret, atque ab eo multam et magnam gratiam iniret. Cumque fides et virtus magnam ipsi dignitatem conciliaissent, tum hoc illi tribuit imperator, ut is, pro ea potestate, quam in regno Italiae obtinebat, ei Veronam attribueret, cum ut praemium fortitudinis in bello Mediolanensi demonstratae caperet, tum ut magnitudinis fideique apud posteros aestimandae monumentum haberet. Quamquam ex eo tam insigni luculentoque imperatoris beneficio vulgus pro insita levitate occasionem fabulandi arripuit, quasi Hermannus ab externa regione in nostras terras delatus, non posset nativo domesticoque Principis Germaniae decore gloriari. Sed quae id fit, facile intelligunt, qui unde quaeque familia orta sit, accurate atque ex veris monumentis sciunt.

(b) Quatuor sunt Marchionatus auspiciis et dignitate insigniores, quorum duo, qui etiamnum illud nomen retinent, constituti sunt ad defendendum Germaniae litem contra barbaros, ac dignitatem ab armis coeptam, non in umbra, sed sub pellibus demonstrarunt, adeo quidem, ut moribus legibusque imperii primo haereditarias, deinde iuribus regalibus praedictas marchias consequerentur. post ipsis etiam ducibus, quorum maxima semper in republica nostra praerogativa fuit, exaequarentur. V. Dominici Arumaeus vol. 3. disc. 10. §. 13. Iodocus Coccius, quod in Alsaciae et Almaniae antiquitatibus praecclare versatus est, quemque Aubertus Miraeus subinde sequitur et laudat. in Dagoberto cap. 11. Plerasque Marchias, praecipue Saxonicas, condidit Henricus Auceps, Misnensem et Lusaticam contra Boiobemos et Polonos, Holsaticam Slesvicensem, quae hoc nomen amisit, contra Danos, quorum nomini incrementisque Holsati cum primis omni tempore adversati sunt; Brandenburgicam contra Henetos atque Oborritos. Alb. Cranzius Vandal. III. 16. Georg. Fabricius orig. Saxon.

I. 2. p. 115. Chronicon MSPT. Marchionum Lusatiae a principio: Vbbo Emmius rer. Frif. lib. 6. *Moravica contra Vngaros pariter et Sarmatas est constituta*, Mart. Boregk chron. part. 1. p. 76. *ubi Bretulaum primum Moraviae Marchionem nominat, quippe quod is primus fuit, qui illam regionem ad ducatum \* Bohemiae, tanquam eius contra Vngaros Polonosque Marchiam adiunxit. Marchionatus Burgoviae, qui A. 1285. amisit veteres dominos, satis superque intelligi potest ex Chronico Augustano, annalibus Crusii et Zeileri. Idcirco restat Badensis, qui iam aetate Conradi III. certis atque indubitatissimis monumentis celebratur. Monachus VVeingartenensis ab Henrico Canisio editus Herimannum Marchionem de Baden nominat, qui coepto inter Guelphonem et Fridericum Hobenstauffium dissidio interfuit, et iam illo tempore fama auctoritateque valuit, de Guelphis Principibus p. 203. Neque me fugit, Marchiam ad balneas iam in diplomate Dagoberti commemorari, fuisseque adeo antiquissimum ibi limitem Rheni, cuius cura custodiaque semper maximi habita est, adeo ut tandem concessu imperatorum dignitatem feudi Marchiae regalis vere meritoque nancisceretur. Videatur diploma apud Iodocum Coccium in Dagoberto cap. 18. Quare Marchia Badensis iam ante Friderici AEnobarbi tempora sine dubio fuit instituta, contra quam vulgo existimant, qui tamen ne sic quidem inter se conveniunt, et dissimiles rationes subducunt; alii A. 1153. alii 1185. numerant. Marchia Hochbergica, quae propaginem, \*\* non stirpem mutavit, ante Hobenstauffiorum aevum Saliquis imperantibus claruisse memoratur, quandoquidem Bertholdus Constantiensis Hermannum Marchionem Bertholdi I. Zaringiae ducis filium, eundemque Bertholdi II. fratrem monumentis commendavit, qui iam illis temporibus Hochbergae marchio fuit, quiq. a. MLXXIV. decessit, in chron. ad d. A. Ut vel id indicio esse possit, Marchias non primo ab excessu Lotbarii II. esse coepisse haereditarias, quod tradit Simon Schardius in lib. de Principum Elect. orig. c. 7. p. 62. Nam Henricum Aucupem constituisse Marchias, vel ex solo Helmoldo intelligamus, Chron. Slav. l. 1. c. 8. Adeo ut tempore Ortonis III. pleraeque Marchiae iam tum haereditariae fuerint, quod de Misnensi probare in promptu est ex Detmaro Merseburgensi lib. 5. Fuitque Otto alias facilis et promptus in impertiendo hoc tali iure, quod exemplo comitatus Hoiensis docere liceat ex*

\* Sub istud tempus Bohemia nondum erat regnum, unde iure tituloque Marchiae, quae tunc infra dignitatem ducatus erat, et ad reprimendos Sarmatas Vngarosque utilis atque opportuna etiam iacebat. Postea quam Bohemia regnum facta est, sec. XIII. ex capite uxorio ducatum Sveviae praetendit, quam VVenceslaus unoculus acceptis XM. libris argenti cessit, Zeiller. Chr. Svev. ad an. 1190. Is ducatus sane fuit inter Germaniae antiquissimos, V. Barth. Schobingerus ad Ioachimi Vadiani antiq. p. 116. Chronicon VVeingartenense p. 218. 219. Qui extinctis in Conradino Hobenstauffiis, a Rudolfo Habsburgio Rudolfo filio est attributus.

\*\* Vna enim est familia, lineae tantum diversae, ut praeter antiqua monumenta, etiam scriptores recentiores Munsterus, Besoldus confirmant,

diplomate, quod extat apud Miracum in codice donationum piarum c. 41. Quamquam ex eo non sequitur, omnes comitatus praefecturasque sub illud tempus primum coepisse fieri haereditarias, uti visum id quidem est Miraco. Omnino autem hoc dabo verum esse, quod ex Aimoino conficit Alphonfus Delbene de Marchionibus Gothiae p. 3. Caeterum regum imperatorumque Saxonum instituta imitati sunt Saliqi, et superioris Germaniae limitem praefidis praefecturisque ornarunt. Venit hic mihi in mentem Davidis Chyraei, et Martini Plesii VVilsenacensis, qui Marchiam Badensem ab Henrico Aucupe contra Gallos institutam memorant, \* quippe quorum irruptiones non minus saepe, ac barbarorum, formidabiles fuerunt, ille Chronic. Saxon. lib. 3. a principio, hic oratione de laudibus Marchiae Brandenburgensis p. 9. Proinde ut aditus Rheni casto direntur, et incursiones Francorum occident alium impedirentur, in loco tam commodo opportunoque Marchiam fuisse institutam, rerum periti existimant, ut quemadmodum Marchiae inferioris Germaniae imprimis contra Slavos, Polonos et Danos, ita haec nostra Marchia superioris Germaniae maxime valeret et munitur contra Gallos. Quod affirmavit Christophorus Besoldus, atque ex doctissimo ICTO Vdalrico Zasio retulit Caspar Manzius part. 2. iur. publ. tit. 12. ff. 3. n. 10. In cuius officii partibus obcundis summum laborem studiumque et virtutem constantiamque maximam nostrates Serenissimi Marchiones non minus Germaniae, quam universae Europae nuper demonstrarunt, et Austriam, qua cum antiquissimas necessitudines contraxerunt, novis etiam recentibusque beneficiis affecerunt, firmi proposito, non animo dissimiles, et certe repetitis ex verustate auspiciis exemplisque, fato ita patriae nostrae dari, ut Gallos, ab invadendo Germaniae limite manu consiliisque prohiberent. Quare nec annales nostrae gentis, neque res actaque patiuntur, ut Serenissimae Familiae huic aliam originem, quam Germanicam attribuamus. In quo consentiunt Martinus Zeillerus, vir totius Sveviae peritissimus, in Germania Nov. antiqva cap. 9. p. 226. et CL. Hermannus Conringius annot. ad Lampad. part. 3. c. 5. p. 196. Quamquam Christophorus Lehmannus, qui omnem aliogque et utilem operam eruditionis Germaniae antiquitatibus impendit, ac iuvit haec studia, et praecipue ornavit, in originibus Badensibus haesitavit, atque in his et plerisque aliis, praeserim Turingiae rebus, solitae diligentiae partes numerosque non explevit, chron. Spirens l. 4. cap. 7. p. 296. Rectius de hac origine et scripserunt et senserunt Nicol. Rittershusius in exegef. histor. genealog. p. 140. D. Phil. Iacob. Spenerus Syllog. in famil. Bad.

\* In aliam sententiam discessere Nicolaus Myler ab Ehrenbach archolog. Ordinum imperial. c. 6. p. 61. et ff. 3. n. 10. et Io. Christ. VVagenfeilius, qui Marchiam Badensem a Carolo M. institutam, nullis tamen Carolingicis nixi monumentis, affirmant: a quibus et modeste et considerate diversum sentio.

S. III. Ordo et ratio argumenti postulant, ut quemadmodum Principes nostri regiones suas auxerint, et turbata saepe republica, rebus suis in

M m

tem-

tempore summo conatu maturoque iudicio consuluerint, tradam. Etsi enim fortuna interdum ipsorum causam optimam destituit, tamen omnia adversa fortissime pertulerunt, et vitae iurisque sanctimonia avitam gentis suae laudem retinuerunt. Illud hic est memoratu dignum, quod cum Hermannus (c) quartus eius nominis *Marchio*, ad conservandam Friderici II. imperatoris auctoritatem omnia consilia sua referret, iisdemque in castris esset, multas sane et magnas difficultates superaverit, et iunctis viribus consiliisque effecerit, ut immorigerus et perduellis imperatoris filius, cui Henrico nomen erat, armis victus in custodiam traderetur, resque publica factionibus distracta iterum pace frueretur. Illi, partitis antiqui patrimonii principalis rationibus, *Marchia* Badensis obtigit, quam summa virtute atque industria administravit, et tumultibus belli civilis, quod Henricus Hohenstauffiae gentis princeps concitaverat, ereptam in tranquillum statum redegit. His praeclare gestis, magnum et fortitudinis, et auctoritatis suae fructum cepit, et Sveviam pariter ac principatum suum omni honore ornavit firmavitque. Inprimis autem connubio Irmengardis et opes et potentiam auxit, adiectisque superiori haereditati oppidis Durlaco, Pforzheimio atque Etlinga, ab Imperatore Friderico II impetravit, ut totum hoc uxorii iuris negotium publicis tabulis ratum haberetur. Id cura providentiaeque sua consecutus, rem publicam omnibus modis iuvit, et ubi posset, ex impendentibus calamitatibus eripuit, ac pro altitudine animi sui existimavit, illa salva et florente non posse esse peiori loco res suas. Cuius voti cum vellet esse compos, nullum quidem instaurandae augustae dignitatis locum praetermisit, sed pro turbido illorum temporum statu non semper obtinere potuit, quod optavit, quodque omni opera et studio, quantum in ipso erat, curandum suscepit. His molestis periculisque anno MCCXLII. defunctus, reliquit filios Hermannum V. et Rudolphum, quorum prior iure matrimonii cum Gertrude, Austriae haerede contracti, in spem possessionemque eius ducatus venit, et causam hanc praesenti animo contra Ottogaram Bohemiae regem, etsi virium armorumque fiducia nixum, propugnavit. Cuius filius Fridericus, successionem nactus, studio Hohenstauffiae necessitudinis, ad gerendum bellum contra Carolum Andegavensem incitatus, cum armis confertis, hosti diutissime restitisset, impetumque maximum sustinisset, tandem praeter spem in eorum potestatem

(c) Plerique Scriptores Hartmannum appellant, cuius ius in ducatum Austriae-Babenbergicum (postero enim tempore ad Austria-Habsburgios pervenit, apud quos in Archiducatum transiit) ex subiecta genealogia aperte palamque est declarandum.

tem venit, et nulla interposita parcendi ratione, indigne ac praeter moris principalis exemplum, anno MCC.LXIIII. in urbe Neapolitana capitis supplicio est affectus. Eius atrocissimae vindictae auctor atque impulsor fuit Clemens IV. Pontifex, qui captabat occasionem delendae Hohenstaufforum stirpis, et ultionis non nisi exitio Conradini, et necessarij socijque eius Friderici Ducis terminandae. Neque id Gallo ad spem dominatus elato displicebat, quippe qui ut sese occasiones darent, ita iis uteretur, regni potiundi opportunitatem eo minus neglecturus, quod ipsi ultro offerretur. Quamquam enim inclementius cum Conradino et Friderico actum, illi etiam avitum regnum praeter omne ius ereptum fuit, tamen Pontifex prius conquiescere non potuit, quam universa Hohenstaufforum familia, quippe quae Romanae sedis multas haecenus molestias attulisset, et iam in proximo regionum suarum aditu collocata, opibusque et viribus valida, eiusque adiutor fide et fama innoxius pari fato excinderentur. Ita vero Fridericus et infelicem potentiae, et successionis in ducatu Austriae finem habuit, Princeps longiori aevo, et meliori fortuna dignus.

Henricus I. ex Austrio-Babenbergicis Dux Austriae a Friderico AEnobarbo an. 1156. creatus, al. sed perperam 1161. numerant. Diploma confirmationis a Friderico II. editum extat in Io. Cuspin. Austria, ex quo attulit Mart. Crusius annal. Svecv. dodec. tert. part. 3. c. 2. p. 58.

\* Fr. Iren. exeg. l. 3. c. 75. cum quo conf. Ioh. Cuspinianus, luculentus rerum Austriarum scriptor.

Leopoldus VII. Henricus II. Agnes. virtuosus, Austriae et Stiriae Dux. \*

Leopoldus IX. gloriosus. Fridericus Catholicus. Cunigundis.

Leopoldus IX. Fridericus Henricus III. Constantia. Gertrudis, Agnes, Margaretha praemature bellicosus. de Medlinga. ux. Premial. mortuus. aπaus. usque ultimis Dux Stir- Gertrudis Ottogari regis Bobem.

pis Austrio Ba- 1. Vx. Ladislai Marchionis Moraviae. benbergicae an. 1246. al. 1226. † 2. Hermannii Marchionis Badensis, qui Austriae administrationem suscepit.

Fridericus, iure Agnes. 1. Vx. Vdalrici (Vlrici) Ducis Carinthiae Badenensis 1268. † aπausd. M m 2 2. Mein-


2. Meinhardo Comiti Tirolensi, al.

Ulrico Comiti Henburgi.

Henricus. Elisabetha, Alberti Comitis Habsburgii, Rudolphi Habsburgii Caesaris F. Vxor. In qua coepit nomen titulusque Ducis Austrio-Habsburgii Anno 1283. quando a patre in ducatum Austriae et Stiriae dominium possessionemque est inauguratus.

Quibus positis atque confirmatis, vel primo aspectu apparet ratio iuris ad Badenses Principes devoluti. Nam in Austria extinctis maribus successio etiam pertinet ad foeminas: unde sequebatur, ut Gertrudis Henrici Medlignensis filia, defunctis in universum virilis sexus liberis, tanquam ordine succedendi proxima iure et exemplo illius regionis praerogativam successionis obtineret, atque adeo hoc ius ad filium Fridericum vere atque efficaciter transmitteret. Proinde Constantia, Gertrudis et Margaretha Henrici Medlignensis sorores, cum ducatum iure foemineo constantem, Gertrudis Henrici Medlignensis filiae, quippe ad quam proxima et paterna successione iam delatus erat, nullo iuris obtentu, nulloque rationis colore, praeripere potuerunt. Quamquam Premislaus Octogarus Bohemiae Rex, vi potentiaeque nixus, pro more suo insolenter agebat, et pro partiendo ducatu annitebatur, propterea quod Margaretham in matrimonio habebat. Cumque eo nomine periculum republicae impenderet, omnia cura ab Hermanno ist adhibita, ut pax conservaretur, et importunis etiam Bohemi postulatis non plane nihil ex temporum necessitate concederetur. Margaretha enim ipsius uxor, cuius ius propugnabat, ab Hermanno alienior, hanc invadendae Austriae occasionem Bohemo attulit, malo suo post imparis connubii fatum experta, usque adeo, ut praeter meritum ab Octogaro repudiaretur. Neque hic admissa impune tulit, et Rudolfo Caesari, suae et imperii auctoritatis vindici iustas tandem poenas dedit. Sed horum actorum capita in Austria Bohemicaque scriptoribus cumulatisime inveniantur. Eo conf. Albertus Argentinenf. Chron. p. 102. Chron. Colmar. p. 46. Iohan. Nauclerus Chron. vol. 2. gen. 43. p. 966. Hieronym. Megiserf. Chron. Carinthiae l. 8. cap. 37. p. 903. Pro iustitia successionis Badensis vid. summum Franciscus Irenicus exeget. Germ. l. 3. c. 72. et 105. Martin. Crufius, qui Iohannis Cuspiniani Austriam in pertexenda huius argumenti historia sectatus est, annal. Sjev. dodec. tert. lib. 2. part. 3. c. 3. Phosphorus Austriacus Lovanii editus part. 1. c. 36. Ioh. Limnaeus ductis ex Gerardo de Roo fontibus l. 5. l. P. c. 2. n. 12. in famil. Austr. Demum notandus est in parte genealogiae Austr. Elias Reusnerus, qui pro Leopoldo VII. Henrici Ducis Austriae filio Ludovicum VII. scripsit, βασιλικών p. 202. Caeterum conspectus Marchionum Badensium, quorum series ad hunc conspectum attinet, est talis.

Bertholdus I.



§. IV. Cuius familiae cum laudi, tum fortunae tribuendum est, quod cum summis Principibus necessitudines contraxit, et pariter amicitiam cum vicinis, remque publicam honestis consiliis firmavit. Praecipue ad huius stirpis incrementa permagnum momentum attulit Zaringiorum (d) obitus, quippe quo factum est, ut pluribus beneficiis clientelisque ornaretur: nihilo secius potentiam splendoremque facinoribus bellicis amplificavit, et cum Rudolphi I. Caesaris autoritas peteretur, hostium impetum repressit fortiter atque infregit, imperiumque difficultatibus et periculis longe gravissimis implicatum felicissime liberavit. Nam ita comparatum est, ut quandocumque magnae respublicae florent, virtute disciplinaque Principum fulciantur: contra fit, roburque illorum fere attenuatur, si non habeant, quibus summam belli administrationemque rerum maximarum tradant. Quare Austriae prosperum evenit, quod, cum Ottogaro regi Bohemiae iustum legitimumque bellum faceret, Henricum Hochbergium Badensem Principem, cuius tunc et summa rei militaris scientia, et exploratissima instituendi ducendique exercitus ratio erat, fide sibi obstrictum habuit, quippe qui eius sane difficilimi belli, in quo Rudolphi I. rei publicae nostrae honos vertebat, socius adiutorque fuit, et magna excellentique virtute sua eius conficiendi optimam utilissimamque viam inivit. Illius posteri omni laude fortunaque floruerunt, et animos a factionibus alienos, in tranquillitatis concordiaeque studio defixos habuerunt. Idcirco rebus pacatis sua quisque eorum tenuit, et postquam Henricus et Rudolfus principatum partitis rationibus possederunt, duae propagines ortae sunt, quarum altera Hochbergica sigillatim, altera Sufenbergica dici coepit. Quarum illi magno conficit frugalitas, quam connubio multum auxit, et dynastiam Vfenbergicam inferiorem ad vetus Marchiae Hochbergicae patrimonium hoc iusto legitimo-

Mm j

timo-

timoque titulo partam adiecit. Reliqua eius pars, quae superior nominatur, ab Hessone eius propagine Marchione honestis conditionibus comparata est; cum enim is occasione rerum suarum prudenter amplificandarum uteretur, venum expositam haud parvo pecuniae impendio redemit, atque ad avitum Hochbergae principatum adiunxit. Eius frater Otto auspiciis Leopoldi Archiducis contra Helvetios militavit, et collatis cum hoste signis apud Sempachium fortissime pugnans cecidit, posterisque suis hoc laudis studiique in Austrios monumentum reliquit. Inter has tam eximias luculentasque fortunae accessiones sola orbitas impedimento fuit, siquidem propago Hochbergica in Ottone III. coelibe, Principe vita et proposito constanti, defecit, ut iam coelesti quadam providentia propago Badensis cresceret, maximisque beneficiis cumlaretur. Otto enim, de quo tradidi, res suas ita constituit, ut, si quid ei humanitus eveniret, omne ius imperiumque Marchionatus Hochbergici et dynastiae Vsenbergicae vero ac perpetuo iure ad Bernhardum Badae Marchionem deferretur. Qui praeterquam quod Ottoni necessitudine coniunctus fuit, praesenti quoque pecunia successionem in utraque regione rite solenniterque est pactus. Quibus rebus evenit, ut propago Sufenbergica in Rudolfo III. coepta, iam sola superesset, atque suis praefidiis innixa, in successoribus usque ad Philippum, qui anno MDIII. decessit, continuaretur.

(d) *Principes nostri, qui initia generis ducunt a Zaringis, Zaringii autem a Vindonigae Comitibus, Alsatiae, ac Brisgoviae Landgraviis, \* cum de imperatoribus Hohenstauffis, tum de Austriis fide industriaque singulari semper praeclare sunt meriti, adeo ut in antiquis Friderici I. et Friderici II. Imp. tabulis eorum saepe fiat mentio, et ab historicis subinde ac merito ipsorum memoria celebretur. Ceteroqui in linea Hohenbergica, quae post in ramos abiit, iterumque coealit, atque inde omne ius ad agnatos Principes nostros transit, multum obscuritatis difficultatisque habet propter historicorum veterum negligentiam, quae hic non semel est a nobis deprehensa. Namque multi haesitant et subvertuntur, ne vulgares genealogiarum libri, dum Henrici lineae Hochbergicae conditoris liberos posterosque supputant, uno gradu abundant. Nos et sequimur et tuemur genealogiam Conradi Rittershufii accurate (nisi quod perperam Principes nostros ibi Marchiones Badenses appellat) concinnatam, et cum Henricus II. Rudolphi I. Marchionis Hochbergae filius memoratur, nullum gradum abundare persuasi non vanis documentis sumus. Dubitat quidem Matthaeus Merian in deduct. genealog. Serenissimor. Marchion. Badenstium, sed nil causae fuit, cur dubitaret: tantum abest, ut negare ausit, quod constanti scriptorum consensu comprobatur. Conf. Syllog. geneal. Pbil. Jac. Speneri in famil. Badenst. qui erudite monuit, plerosque genealogos confundere Hohenbergios Comites cum Marchionibus Hochbergicis (quos discriminis causa Hochberg-*

\* Vid. Fr. Gvilliman, de Ep. Argent. p. 285.

*bergios alii scribunt) inter quos sunt Hieronymus Henninges, et qui hunc sequi solet, Elias Reufnerus.*

§. V. Nihil fecius propago Badensis, quae distincte speciatimque sic nominatur, ab Hermanno IV. inde spectata fortitudinis documenta passim dedit, et usu rerum experientiaque belli summopere enituit, ut nullas nisi recte agendo vias reperiret, quibus id, quod vellet, utilissime consequeretur. Eaque Austriis, ut sanguine et officio semper fuit coniunctissima, ita praecipuum laudis suae fructum in magnanimitate possum duxit, et libertatem auctoritatemque suam omnibus modis propugnauit. Inde postquam venit in spem capiendae partis Svevorum ducatus, qui summo de Conradino supplicio veteres haeredes amiserat, armis cum Rudolpho Habsburgio est commissa, non ut alienas possessiones aliis eriperet, a quo pravo more semper abhorruit, sed ut restaretur, neque vires, neque animos sibi deesse, cum pari aequoque iure niteretur. Etenim cum stirpis huius Principes Hohenstauffios antehac multis modis sibi devinctos habuissent, generisque et meritorum suorum certe memores essent, exempla quoque aliorum intuerentur, qui amplius eius ducatus possessionibus inhabant, se quoque decere existimarunt, ut eius ducatus portionem captarent, cuius et salutem et iura iamdiu ante defendenda suscepissent, atque adeo commeriti fuissent, ut ex eo quoque fructum caperent, propter quod tam enixe Hohenstauffiis studuissent, atque tam multa onera sustinuisent, et amplissimo Marchionum Svevicorum munere perfuncti fuissent. Verum quia Rudolphus Caesar familiam recens augustis honoribus exornatam firmaturus, totum fere illum ducatum, in quo potentiae Austriacae multum situm erat, in fide clientelaque sua esse optabat, ut eum lege beneficiaria Rudolfo filio impertiretur, pluribusque munimentis insisteret, maioremque domui suae, quam prudentissimus Caesar iam Germaniae regnatricem destinabat, opportune compararet. Neque eum opinio sua fefellit, neque Badenses nihil pro iure suo tentandum putarunt, quando Rudolphus senior, alter Hermanni IV. quem saepe laudavimus, filius, tempore interregni pleraque eius ducatus loca in ditionem suam redegit, de quorum possessione aegre decesit, lisque armis est disceptata, usque dum gravi utilique ratione finiretur. Eo tempore Durlacum, quod Hermannus IV. connubio Irmengardis Henrici Palatini orti ab stirpe Gvelfica filiae acquisiverat, iniquissimam fortunam subiit, et excitato inter Principes dissidio pertulit calamitates longe maximas, crudeliterque est direptum. (e) Dehinc rebus compositis, Caesares non modo reverenter habuerunt, sed etiam fidelem egregiamque operam navarunt, hocque animo et sententia praediti fuerunt, ut capitis sui iniurias nunquam sibi esse negligendas putarent. Nam Ludovico Bavaro, successoribusque Lutzelburgicis, et inprimis Caro-

Caro-

Carolo IV. Austriisqve maiestatem imperii tutantibus et manu, et consiliis, cum opus esset, praesto fuerunt.

(e) *Franciscus Guilimannus de Episcopis Argentinenfibus. pag. 303. atque ante hunc Iohannes Nauclerus vol. 2. gener. 43. p. 966. qui narrat, marchionem fuisse inter eos, qui bona regni violenter sibi usurpassent post exclusionem Friderici II. et posterorum suorum. Verum spe fiduciaque iuris, quod sibi in ducatu Sveviae tribuebat, cuiusque possessionem tenebat, Rudolfo Caesari restitit, nulla tumultuandi cupiditate, sed studio retinendi ea, quae extincto Conradino, quem, ut verba sunt Blondi, Carolus Andegavensis tam detestando, quam semper alias regibus et praestantibus insveto principibus more exemploque securi publice percusserrat, Ital. illustr. reg. tert. p. 315. ad se iure propinquitatis vicinitatiqve devoluta existimasset. Alioqui nullam tyrannidem affectavit, etsi Conradum IV. a quo fatale Germaniae interregnum, quo Rudolphus Marchio insigniores ducatus Sveviae portiones tanquam ad se pertinentes occupavit, numeramus, societatis cum Hermanno Thuringiae Landgravio armis est adortus, amore erga Pontificem, qui deestatione et diris formidabilem se Germanis praestabat, adeo ut illi potius, quam patriae legibus Princeps seculi miseris illis afflictissimisqve temporibus obtemperarent. Perinde adiuvit Richardum, quia satius duxit isto turbato patriae statu aliquem sequi, quam neminem sequendo inter factiones perire. Post vero quam Rudolphus Habsburgius Caesar leges et libertatem imperio reddidit, totum Sveviae ducatum repetere sibi, filioque addicere studuit, ut, quia suscepisset administrandum propugnandumque imperium, simul novis possessionibus familiam suam firmaret. Quod cum anno 1283. perficeret, repugnavit Rudolphus Marchio, atque ea ex causa multas calamitates molitissimasqve maximas perferre est coactus. Fuitque hoc indicio verum esse usuque probatum, quod olim scripsit Cornelius Nepos, proximorum odia esse acerrima. Sane autem prae aliis magnum detrimentum ei intulit episcopus Argentoratensis Conradus eius nominis III. in quam sententiam auctor Chronici Colmariensis haec memoriat protulit: Conradus de Lichtenberck Episcopus Argentinenfensis castellum Türlac per ignem destruxit, et quae in eo reperit, deportavit, ad an. 1279. Eam fortunam cum resistendo frangere non posset, patiendo vicit, moderateqve omnia mala tulit, et anno 1288. naturae debitum reddidit Princeps consiliis et manu promptus. Cumque ab eo quodam temporum fato alienior fuisset Rudolfus Caesar, tum ex necessitudine Hochbergica Henricus ad societatem belli contra perduellem Ottogaram gesti sese adiunxit et salutem Caesaris imperiiqve summa cum fortitudine et fide propugnavit, ut sic quoque domus Austriae virtuti huius stirpis plurimum deberet, V. supra §. 5.*

§. VI. Nec modo in concordia retinenda, sed etiam in iustitia administranda laudem raram sibi compararunt, et nulla gratia odioque impelli

pellere se aut impediri passi sunt, foederaque etiam saepe recusarunt, ne iniuriae inferendae occasionem quaerere videri possent. Quod usu ipsis venit, quum rerum potente Carolo IV. foedus Alsaticum (f) pangeretur, siquidem, ut saepe in rebus humanis fit, subverebantur, ne per istud suspiciones diffidentiaque excitarentur, vicini ac focii quoquo modo perturbarentur, quibus sub tutela et imperio Caesaris pacate vivendi ratio constare deberet, ut obsequentes essent legibus, et iussa decretaque publica sine studiis et factionibus amplecterentur, satis munitos se existimantes, si in fide sua permanerent. Quare cum Maximilianus I. poenam proscriptionis promulgasset, et Philippum principem Electorem Palatinum avitis possessionibus mulctandum edixisset, solus inter vicinos nostrae gentis Principes se continuit a bello Christophorus Marchio, fuitque hoc animo, ut diceret, eam sibi esse amicitiam et necessitudinem cum Palatino, ut ex eius miseriis nullum parare sibi commodum cupiat, hanc crescendi rationem iniquam et prope erubescendam existimans, quae ad opprimendum finitimum nulla quidem sibi iniuria cognitum spectaret. (g) Quare etsi superiore Caroli Patris fortuna moveri poterat, ut ea data occasione sarciret damnum, quod is proximo bello Moguntino acceperat, tamen mansuetudinem quasi medicinam animo adhibuit, ut facile ab omnibus intelligi posset, eum nihil minus velle, quam ditescere ex alieno malo, summo moderationis et fidei erga finitimam domum Palatinam exemplo, quod pari studio et constantia adhuc probant, armisque Gallicis una mente et consilio resistunt, dum hodieque id agunt Nostrates Principes, ut Palatini fortunam propria habeant, eique inhonesta ac iusta defensionis causa animo copiosque parati adsint, et caput imperii summamque rerum tam fideli consilio, quam forti manu propugnent, refracto nuper Rheni claustro, quo terror Gallici nominis magno cum patriae damno continebatur, adeo ut inde vim impetumque in proximas regiones rex iste inultus aliquandiu faceret, et ferro flammisque vastaret, perinde ac si in eos armis vindicandum esset, qui fidorum principum partes officiumque praestarent.

(f) Albertus Argent. Chron. an. 1353. asseverat, Marchionem Badensem noluisse esse in liga, repetitque in Gvilliman. de episc. Argent. p. 375. Nam tenebat memoria Caroli IV. morem, qui magis in ornandam amplificandamque Bohemiam, quam in custodiendam Germaniam incubuit, studioque in Gallum, Alsaticam Marchiamque periculo exponeret, rogatusque opem moras necebat, et taediis calamitatibusque eas regiones consuetari sinebat, praecipue quum irritati Angli Gallorum, quibus Carolus studebat, hostes omni foeditate ibi grassabantur, quod post accidit anno 1362. Albertus Argentinens. et Didacus Apolephtes, qui relecto nomine est Abrahamus Hofemannus, ibidem. Tum ipsius animo occurrebant damna temporibus Hermannii senioris, et Hermannii VII. finibus Marchiae illata, quae studio pa-

eis refarcire quodammodo mainsque periculum avertere tutius videbatur, eo magis, quod sciret, comitem VVirtembergicum metu magis, quam amore ad ligam illam adductum, Argentinenf. an. eodem: quoniam ita se gerebat Marchio nostras VVeckerius, ut Carolus IV. omni alioquin studio voluntateque ei coniunctus esset.

(g) Verba eius, quae doceant fidem constantiamque Principis admirabilem, ex Palatinis monumentis prolata videas apud scriptorem Palatinum Danielem Pareum hist. Palat. p. 246.

§ VII. Cum vero nostrates Principes pro amore iustitiae et pacis neminem laederent iniuriave afficerent, iuraque imperii et sua fide curaque maxima custodirent, tum summa integritatis laude semper defuncti sunt, et necessitudine potius coniunctioneque animorum res suae domus stabiliverunt, quam animos ad externa incertaque adiecerunt: itaque cum proximi essent propinquitate iis, qui haereditate relicta decesserant, successioneque niterentur, regiones eo iure ad se devolutas in fidem ditionemque suam acceperunt, et nihil, nisi iustum aequumque esset, aequirendum censuerunt. Raro enim diuturna sunt et perpetua, quibus per vim potiuntur Principes, luuntque persaepe haeredes, quorum poenas effugiunt parentes, ut sentiant posteri, iustitia stare principatus firmarique pietate potentiam, temporumque fortunam malis imperantium moribus converti. Contra quam vicissitudinem honesto acquirendi modo nostrates Marchiones se muniverunt, et partim aditis haereditatibus, partim emptis possessionibus patrimonii rationes iuste feliciterque amplificaverunt, et litem nomine affinitatis a Ludovico Longavillae duce motam pacatione finierunt: quod cum ad utilitatem nostratis nationis pertineret, et res patriae ita ferret, ut controversia, quae in foro iudicioque Spirensi agitabatur, incitamentumque belli esse poterat, amica compositione terminaretur. Postquam enim Philippus Hochbergiae propaginis ultimus anno c10 10 III. in vivis esse desuit, eius haereditatem crevit Christophorus Marchio Badensis, in quam sententiam factum est successione pactum, quod in annum c10 CCCXC. incidit, et non modo iure sanguinis nitebatur, sed etiam tabulis a Maximiliano I. Caesare datis subsignatisque novem post annis est confirmatum, (h) more imperii per antiquo et sancto, quo nulla successione pacta inter Principes valent et succedendi ius tribuunt, nisi a Caesaribus firma rataque habeantur. Quare cum haud ambiguum Christophori ius esset, Caesarque acta necessariorum Principum comprobasset, nemo fuit, qui eum in iure suo interpellaret, nisi quod Longavillae dux praetextu iuris uxorii Susenbergam Roetelamque sibi vindicaret: quod ubi frustra tentatum esset, iurisque sui rationes demonstrasset Christophorus, quod pacta omni ratione valida rescindi non possent, nec irrita reddi, subiectus

utri-

utrique ditioni populus fide ac iureiurando Christophoro Marchioni est devinctus: mox dissidium hac lege compositum, ut pecunia satisfaceret Longavillano, numeratisque ducentis et quinquaginta millibus aureis tota eius praetensio, non quidem necessitate iuris, sed amore studioque pacis, redimeretur. Res utrinque diu deliberata, et tandem communi voluntate ad exitum perducta non mediocriter illustravit Badensis familiae mansuetudinem, et ad dignitatem pariter quietemque publicam pertinuit, et facultates viresque Principum nostratium auxit atque confirmavit. Cum enim aliorum consilia per saepe eo spectarent, ut de alienis certarent, et opes fortunasque, quibus possent artibus, ad se transferrent, tum diversam viam ingressi sunt nostrates, et rectis sincerisque animis boni publici rationes confecerunt, et a turbis offensionibusque alienissimi fuerunt, quin et factorum suorum rationes, mentemque de non conturbandis aliorum rebus publicis maximeque illustribus exemplis declararunt, et cum nullo iure vinci possent, retinendae concordiae causa ipsi se vicerunt, officiumque fortissimorum Principum, non in bello modo, sed etiam in toga, raro quodam et singulari gloriae documento, praestiterunt.

(h) Annus 1499. ad huius pacti successorii memoriam firmatumque patriae robur insignis fuit: id vero anno post 1503. effectum est datum executionique mandatum, quam naturae debitum expleverat Philippus, cui ad decessum fatalis fuit dies septima Septembris, quae succedendi viam Christophoro agnato aperuit, quicquid sollicitaret etiam contraque niteretur Ludovicus Aurelianensis Dux Longavillae, cui et successoribus eius Comitatus Novocastrensis, sive Neuburgensis in Helvetia, titulusque duntaxat Roetelae additus est: ipsa vero Roetela, eiusque civile imperium et omnia ditionis nomine competentia iura ex capite agnationis et foederis de successione pacti, atque a Caesare confirmati Christophoro tanquam uni, vero et legitimo feudali pactique iam recensiti nexu illigato haeredi atque indubitato successoris, a Caesare quoque et imperio in eam sententiam declarato corroboratoque, est attributa, simulque Susenberga et Badenveilera, eadem ratione tituloque in ius et ditionem Christophori venerunt, quorum actuum momenta, et deliberationum capita, originem progressionemque et exitum requirenda dabo in tabulariis Durlacensibus, quae non minus fidem et diligentiam, quam prudentiam Christophori Marchionis testantur: non enim modo suo patrimonio, sed etiam patriae commodis probe consuluit, et Principem Gallica necessitudine subnixum a finibus suis, in quos Marchia Badensis contra Gallos primitus descripta est, abesse voluit, non alioqui ignarus, multos esse, qui se delentiri patiantur externae istius gentis illecebris, ut priusquam sentiant, laqueis sese irretitos magno cum reipublicae Germanicae detrimento experiantur. Cuius exempla in promptu erant apud Bohemos vicinosque alios, qui capti promissorum illecebris, summam rerum prope in periculum adduxerunt, id quod

documentis superiorum seculorum consiciamus, et recentibus etiam non sine dolore publico afflictæ nuper vexatæque indigne Patriæ comprobare queamus. *conf.* Sebast. Munsterus lib. 3. cap. 254. Gabriel Bucelinus doctus et diligens patriæ historicus part. alter. histor. Agilolfing. p. 353. Phil. iacob. Spenerus bene fideliterque de Serenissima Nostrati familia meritis in Geneal. Badens. an. 1668. edita, et 1677. rursus emissa diligenterque recognita, quæ Germanice descripta extat apud Matthæum Meriant, Serenissimis Principibus Friderico Magno, et Augustæ Mariæ, sum solennia matrimonii Principalis celebrarent, dedicat a.

§. VIII. Cumque Christophorus rerum momenta conditionemque suorum temporum sæpe ac diligenter expenderet, tum fortunam patris Caroli, (i) quam in bello Palatino sustinuerat, summa ratione ad calculos revocabat, et quanquam ipsi non deerant causæ, cur Philippum Palatinum a Maximiliano I. proscriptum armis peteret, dataque ad ulciscendum occasione patri Carolo erepta recuperaret, tamen bello, a quo nunquam vicissitudo seiuncta est, se non immiscuit, non quod voluntati Caesaris decretisque imperii refragari vellet, sed quia fidem a patre Carolo datam cupiebat esse inviolatam, et usque eo honestis ac salutaribus consiliis nitebatur, ut non dubitaret publice intercedere pro Palatino, offensamque ipsius nomine deprecari. Quod institutum sicut fuit egregium dignitatisque plenum, ita religionem foederum docet graviterque confirmat, adeo ut tota Germania huius facti admiratione afficeretur, (k) passimque hæc summa et incomparabilis constantia in hominum ore esset, traditaque posteris etiam a DEO, cui hæc domus inter ancipites dubiosque casus semper curæ fuit, magnopere fortunaretur: præterquam enim quod servatæ fidei hunc fructum cepit, exemplum quoque ad alios Principes transmisit, ut quas causas propositi factorumque suorum haberet, palam testaretur.

(i) Caroli Marchionis fortitudo, quam in castris demonstravit, ab æmulis etiam celebrata est, solaque festinatio, quæ magnum aliocui in bello momentum habet, ei obsuit, quum nimia pugnandi fiducia in Rheni atque Neri angustias delatus, iniquo loco dimicaret, superaturus hostem, si in aperta planicie consistere, militesque circumire et regere potuisset: sed quia natura ipsa prope ei adversabatur, locorumque difficiles et interclusi aditus obstabant, non potuit impedire, quo minus captivus fieret, propterea quod a militibus, quos Palatinus in insidiis collocaverat, circumventus, neque se pericula explicare, neque hostis manipulos confertim subeuntes disicere nullo imperu nulloque humano consilio posset. *vid.* AENEAS SYLVIUS, qui a partibus Caroli non erat alienus, cupiebatque, ut eius causa auxilio fulciretur, datis ad Ducem Burgundiae Decanumque Toletanum literis, quæ etiamnum extant anno clō cccc LXII. et clō cccc LXIII. perscriptæ: *conf.* eiusdem commentarii rerum memorabil.

bil. lib. 9. p. 220. Georgius Helvvich in dissidio Moguntin. p. 48. 92. 93. seq. Causam bello dedit Dietberi de sede Moguntina dimoti ex auctoritate fortunae, in cuius locum susceptus est a Pontifice Adolphus, pro quo arma cepit Carolus reverentia Pontificis, amoreque Caesaris, qui pro Adolpho amittebatur, studioque in Adolphum, qui fuit Nassoviae stirpis, et auctoramento villarum Algesheim et Gau-bickelheim eo inductus, perinde ut eodem tempore Saxoniae Duces dominia quaedam Eisfeldiae sibi paciscebantur, diss. Mog. pag. 48. 49. Tum vero Fridericus Palatinus ob odium in Badenses notatur, quod cum Carolus Marchio ob amicitiam, qua Adolpho erat coniunctus, ad eius belli societatem sese adiunxisset, Palatinus contra pro Dietbero non tam huius amore impulsus, quam ut socio adiutoreque eo Badensibus obniteretur et noceret, diss. Mog. p. 89. ut adeo vel hoc indicet, non stitisse per Badenses, quo minus pax concordiaeque servarentur, quam caeteroqui cum finitimis, et perinde cum Palatinis, ac cum aliis perpetuo colere voluerunt, eiusque voluntatis certa et luculenta indicia iam olim, et nuper etiam dederunt.

(k) Iustitiae ac prudentiae famam memorat Aeneas Sylvius, eamque in sententiam vehementer laudat Iacobum Principem tam spectatae virtutis, ut inter praecipuos Germaniae Principes fuerit, qui filios suos ad literas erudiendos curaret, Carolumque filium, de quo commentatus sum, Austriis affinitatibus devinciret, collocata ei in matrimonium Friderici III. Imperatoris sorore Catharina, quo peracto re-batur, se felicitatis suae mensuram implevisse, nec multo post summa cum tranquillitate animi decessit, descript. Europ. cap. XXI. Ea de causa Fridericus III. a Palatino, qui praeter voluntatem suam Dietbero accessisset, et mandata sua Pontificis-que neglexisset, abalienatus bellum istud, quod instigationibus suis Galli Bohemique concitaverant, auctoritate sua quidem composuit, sed Fridericum Electorem Palatinum in gratiam non recepit, offensamque non condonavit, quae post magis magisque aucta, toti Palatinatu prope exitium attulit, Pareus hist. Palat. pag. 234. ab eoque et Donavverdae fomite patrum nostrorum memoria novum incendium videtur esse suscitatum, quo multis post annis restincto, Palatini et Badenses amicitiae erga se, et obsequii erga Caesarem aequabiles rationes tenuerunt.

§. IX. Cumque nostri Principes fama iustitiae florerent, tum in Dei cultu religioneque instauranda multam et laudabilem operam posuerunt, atque ex cultis doctrina animis, in disciplinae barbaris seculis prope collapsae, sacrorumque multis superstitionibus contaminatorum emendationem incubuerunt, et tamen eam ob rem in invidiam saepe ac praesentissimum discrimen venerunt, tamen pietatis rationem habuerunt, omni-que statu temporum tuendae suae existimationis studiosissimi atque tenacissimi fuerunt, proditumque a Christophori filii Bernhardo et Ernesto exemplum imitati,

religionemque Augustana confessione traditam amplexi, religionis pariter et reipublicae conservandae curam cogitationemque susceperunt, talesque omni fortuna se praestiterunt, ut Principes se esse meminissent, nec telis, sed rationibus argumentisque religionis negotium agi oportere, pie prudenterque existimarent. Sive enim domi iudicia constituerent, ac ius dicerent, sive ordines ducerent, militiaeque munia obirent, religionem, simul et integritatem cum fide fortitudineque coniunctam testati sunt, et consilio a ratione sumpto, fortunam a Deo petierunt, remque sacram omni studio amplificaverunt, rectoque exemplo emendarunt. Quae opera magni fuit, gloriaeque sempiternae mercedem rependit Ernaesto (1) et BernharDO, qui pietate et salutaribus reipublicae artibus non modo nomen ab oblivione vindicarunt, sed etiam religionem iacentem plane luctu caligineque oppletam denuo protulerunt in lucem, diligenterque procurarunt, maioremque ea re laudem, quam alii acto triumpho, sibi pepererunt, spesque iam erat, fore, ut animi, qui de integro cum Deo coaluerant, nunquam in contrarias partes distraherentur: sed quia familiarum quoque Principalium haec conditio est, ut perinde ac res naturales vicissitudine quadam propagentur, prima cura semper nostris fuit, ut nil per dedecus suae stirpis fieri paterentur, et sanguinis dignitatem conjunctionemque cum factis egregiis, tum decoris connubiis conservarent, iuraque his consequentia, et maiorum instituta maxime tuerentur. Quare acerbum est recordari, quod Edoardo Fortunato (m) usuenit, qui non tantum ob actiones invidiae plenas periculum adiit, sed etiam a superioribus ceremoniis et sacris discessit, atque rationes consiliorum ita commutavit, ut agnatis maximopere displicerent, quippe quae essent eiusmodi, ut fastigio Principali non convenirent, quod impari connubio non firmaretur: cumque is incepto non desisteret, Mariamque Iodoci Eikenii, Rivierae domini filiam despondere sibi cuperet, consiliumque perficeret, simul et Marchiam superiorem aere alieno obrueret, multaque alia agnatis haud ferenda admitteret, hi de ea in libertatem vindicanda sibi que addicenda agere coeperunt, quippe non passuri, ut praetextu pignoris ob nomina dissolvenda constituti aut quavis alia speciosa ex causa quidquam sibi derogaretur, eo quod facta Edoardi prorsus talia essent, ut suis necessitudinibus fraudi esse non possent. Quamobrem ea causa iudicata est in tribunali aulico, et eo quidem tempore, quo respublica Germanica lapsa in peius, id ipsum agi querebatur, quod per libertatem suam pati non possit, et contra vim decretaque asperiora sensim armis niti incipiebat, appellans auctoritatem iudicii Principum, ut quod cum Germaniae regno natum religioseque conservatum fuisset,

(1) Ernestus Christophori filius notus gratia Maximiliani I. Caesaris Princeps, idemque propaginis Durlacensis, quae etiamnum omni felicitate famaque stirpis gloriose defensae floret, auctor, desponsata uxore Elisabetha, Friederici Marchionis Brandenburgensis filia, misis ab Caesare legatis magnifice cultus ornatusque est, ut testatur Nicolaus Basilius in additione ad Chronographiae Nauclerianae generationem fol. 1010. editionis Coloniensis an. 1544. quae desideratur in editione Coloniensi ann. 1675. sacra instauravit, confessionique Augustanae nomen dedit, princeps eo animo, ut omnia potius quam fidem erga Deum amittere voluerit, cuius pater Friderico III. et Maximiliano Augustis ob virtutem constantiamque maxime carus fuit, totamque Germaniam singulari moderatione in admirationem suam convertit.

(m) Hinc litem illi intendit Serenissimus Princeps Ernestus Fridericus, rationesque exposuit, quamobrem superioris Marchiae possessionem apprehenderit, datis eam in sententiam literis anno 1594. Carlsburgo ad Rudolphum II. sub quo excitatus est quodammodo fomes futurorum in Germania motuum, praecidiumque belli tricennalis coepit, quorum actorum capita et plena tractatio pragmatica in lucem exiit, nominatim scriptum titulo, Gründlicher / warhaffter und beständiger Bericht / an. 1595. editum, aliaque huius argumenti insignia et luculenta scripta, quae passim extant. Sententia Anno 1622. lata est a Ferdinando II. quo imperante Germania conturbari distrabique coepit ob edicta inclementius edita, quae talia fuerunt, ut iudicaretur, supremum caput non tam iure, quam vi grassari velle. Iussus autem est Fridericus V. cedere possessione superioris Marchiae, et quod multo asperri- mum est visum, restituere fructus eius nomine perceptos et percipiendos, damnaque facta et expensas sarcire, Rutgerus Hermannides in novissimo Gustavi bello part. 2. p. 13. quae ut alia fere omnia desumfit ex Bogislao Philippo Chemnizio. bell. Svec. pag. 6. Zeillerus in Chron. Svevico Germanico ad an. 1622. Undenam vero offensa Caesaris exorta fuerit, illi sciunt satis, qui unionis Protestantium ob Donavverdensem executionem et Passaviensem expeditionem, coeptae initia causasque perspectas habent, cui postquam ex defensionis ratione accesserant quoque nostri Principes, a Catholicis, qui apud Ferdinandum II. eiusque praecessores auctoritate et gratia valebant, eo acceptum fuerat, quasi id agerent Protestantes, ut Caesari iniuriam inferrent: sed quia haec turbido reipublicae statu contigerunt, Principesque nostri religionis libertatisque defensionem animis suis proposuerunt, strenue ac fortiter stare in acie, quam ultima timere ac pati maluerunt. Alioqui rationes pro unione in publicis pragmaticisque scriptis editae sunt, egitque de iis etiam Iohannes Limnaeus lib. 4. iur. publ. IV. 8. 34. 35. 36. Tanto magis nunc gratulandum est Germaniae, quod vires suas, quas quondam ad vim sibi ipsi faciendam convertit, nunc firma stabilique concordia sulciat, et pacis

per

per iustum bellum recuperandae expectatione erecta, ipsa secum consentiat, et pro maiestate securitateque imperii armis fortissime experiatur.

S. X. Alioquin ubi firmum libertatis in pace praesidium, ac inter arma nullus iniuriae locus erat, bonarum in republica partium fuere nostrates Principes, nullo pretio aut spe illecti, ut secessionum coitionumque auctores imitarentur, aut quovomodo dissidiis delectarentur. Proinde honori meritisque nostrae gentis datum est, quod re fortunaque a Caesaribus subinde aucti, multas et amplas Germaniae urbes clientelasque sunt consecuti, inter quas praecipue mihi memorandum est Durlacum, quae Marchionibus ab Ernesto oriundis nomen dedit, domiciliumque aulae praebuit, quod una cum Heidelbergio auspicio beneficioque Friderici II. Imperatoris (n) Hermanno Marchioni est attributum, postea autem Carolus per iniquam belli Moguntini fortunam cessit possessione Heidelbergii, atque adeo mutavit hoc veteres dominos, venitque in ditionem Palatinam: Durlacum vero Serenissimae stirpis sedes praesidiumque patriae mansit, et celebritate nomineque familiae principalis floruit, patriaeque summum splendorem attulit atque ornamentum.

(n) Martinus Crusius, qui etsi ob digressiones ab historia alienas a Barth. Keckermanno notatus est, comment. de nat. et propriet. hist. cap. 3, tamen in Suevoiae rebus utilem operam posuit, et monasteria Alemanniae diligenter perquisivit, et a Laurentio Frisaeo Consiliario Herbipolitano multa ad scribendum subsidia accepit, et proba integraque fide scripsit, auctor est, mortuis in universum Cratichgoviae Comitibus, Fridericum II. Durlacum atque Heidelbergium Marchionibus Badensibus, nominatim Hermanno IV. dono dedisse, annal. SVEV. dod. 3. l. 2. part. 3. cap. 20. Fuitque causa huius donationis legitima cum ob merita in Fridericum II. tum ob ius uxorium, quod nomine uxoris Irmengardis ei competebat, conf. Fr. Irenicus, qui patriam Etlingam altero lapide Durlaco distantem habuit, Germ. exeget. lib. XI. p. 210. Seb. Munsterus lib. 3. cap. 266. narrat, antiquius Durlacum fuisse ditionis Comitum Hennenbergicorum, indicatque, se monumentis destitutum nescire, quemadmodum haec mutatio acciderit; mihi sufficit donatio Friderici II. iustissimamque possidendi titulus ex concessione Caesaris iureque uxorio probatus. Vid. et Zeil. Chr. SVEV. in descript. p. 260. Ut vero Heidelbergium pervenerit ad Palatinos, legamus apud Helvichium in dissidio Moguntino p. 118. Nunc mihi satis sit, affirmasse, Serenissimos Marchiones nostros in Kraichgovia, vestres possessiones habuisse, vid. David. Chytraei oratio de Greichgaea ad Necessarum p. 59. An vero in Spirgovia, ubi olim Nemetes habitaverunt, iurisdictionem habuerint Marchiones Badenses, res alius est quaestionis, constatque certe, Durlacum ad dioecesin Nemetensem pertinuisse, Fr. Irenicus German. exeget. lib. XI. loco iam adducto: salvis nihilominus diversis territorii iuribus, quae semper certis fini-

finibus distincta fuerunt, quod adeo verum est, ut tradat Christophorus Lehmannus, Badensibus ne procurandae quidem Spirgoviae munus a Caesaribus fuisse datum, Chron. Spirens. lib. 4. cap. 7. p. 296. Caeterum primus Durlacum aulam transtulit Carolus Ernesti filius, a quo arx Carlsburgi nomen sortita est: quod priusquam accideret, domiciliumque prospero eventu mutaretur, aula fuit Pforzheimii, quamlibet Rudolphus Diepholdus in aliam nescio quo auctore sententiam adductus scripsit, antea Busemi eius aulae fuisse sedem, errore, dubium, an festinatione deceptus, quum Pforzheimium scribere debuisset, hist. geneal. p. 106.

§. XI. Illud vero etiam praecipue observatu dignum est, quod nostrates Principes perinde ut Austrii, connubiis creverint, atque hanc fortunam velut arcta propinquitate cum iis communem habuerint, paribusque consiliis gratiam amicitiamque mutuam retinuerint, et nomen auctoritatemque reipublicae armis fundatam societate sua firmaverint, et commoda non magis sua, quam imperii rem salutemque publicam cogitarint in animo enixissimeque curarint. Ita factum est, ut in diversis imperii circulis summis Caesarum beneficiis ornati, decus atque dignitatem recto utrique exemplo sustinerent, portionesque insignes cum in Svevia, ubi aborigines sunt, atque apud Rhenum, cuius limitem iam inde antiquitus tuendum susceperunt, tum apud Mosellam, praecipue ob Comitatum Sponheimensem, (o) quem iure communi possident cum Palatinis, atque etiam in Brisgovia, ubi reliquias ex veteri Hohenstaufforum patrimonio iure meritoque adepti sunt, et Burgundia quoque Iurana, quae ex Arelatenfi regno Germanis superest, ditionis suae imperiique finibus contineant atque complectantur.

(o) Comitum Sponheimensium familia defecit anno c1s CDXXXVII. quod indicat inscriptio sepulchralis, quae in templo Trorbacensi extat, legiturque in haec verba: HIC IACET NOBILIS DNS. IOANNES NOVISSIMVS COMES DE SPANHEIM, QVI OBIT ANNO DNI. M CCCC XXXVII. Similiter familia Comitum Veldentiorum, qui a stirpe Sponheimensi prognati sunt, eodem quinto decimo seculo interiit: utrisque connubiis et affinitatibus sese coniunxerunt Palatini et Badenses: Iohannis coeci filiam Mechtrilden duxit Rudolphus cognomento magnus Marchio Badensis, falsoque super successione Comitatus Sponheimensis patto, ius tabulis eam in sententiam datis obtinuit, cuius in possessionem venit Iacobus I. Marchio, auxitque feliciter res suas. Par fortuna Palatinorum fuit, quando Rupertus et Stephanus Palatini cum eadem familia necessitudinem matrimonii contraxerunt: Rupertus in fidem connubii accepit Elisabetham Iohannis ultimi Sponheimensis Comitum filiam, anno M CCCC XVI. fato functam, quae, quod marito Ruperto, cui nullos liberos peperit, superstes esset, quintam Comitatus Spon-

heimensis partem vivo Iohanne ultimo Comite Sponheimensi, Ludovico Elefiori Palatino addixit: tertiam Comitatus partem retinuit praedictus Comes Iohannes, reliquae duae tertiae partes attributae sunt Mechtildi et Loretae sororibus, quae Iohannis ultimi Comitis materterae fuerunt. Igitur haec mortuo sine haeredibus Iohanne, anno M CCCC XXXVII. totum Sponheimensem Comitatum, exceptis quinque partibus, Ludovico barbato assignatis, creverunt, Mechtildis Rudolpho Badensi nupsit: Loreta domum ducta est ab Henrico Comite Veldentio, ad eumque ius pro rata sua in Comitatu Sponheimensi devolvit: his parentibus natus est Fridericus Sponheimii et Veldentiae Comes, cuius reliquam unicam filiam Annam, quae anno M CCCC XLIV. mortua est, connubio sibi iunxit Stephanus Comes Palatinus, et iure per matrimonium parto, insigni luculentaque accessione avitam regionem auxit. Quare propter Comitatum Sponheimensem, eiusque communionem cum Badensibus simul Elefior Palatinus et Birckenfeldii, ad superiorem circulum Rhenanum spectant, sed ratione eius suffragium in consessu Principum non ferunt, etsi auctor Comitiologiae Ratisbonensis Palatinum Veldentium numerat inter Principes ius suffragandi in Comitibus habentes, siquidem in Comitibus 1654. habitis Leopoldus Ludovicus se subscripsit non propter Veldentiam, ut putavit Comitiologista, sed propter Lauterecciam, ratione cuius suffragii principalis ius habet: idemque se subscripsit Comitem Sponheimensem, non ut interpretatur Iohannes Hofmannus, quasi id denotet suffragium principale, sed more scribendi pragmatico, quo non quod titulo continetur, statim causam scribendi characteremque suffragii exprimit, atque adeo Comitatus Sponheimensis non facit paria cum Comitatu Principali dignitate aucto, qualis est Mompelgardensis, ut videtur Hofmanno ob huiusmodi subscriptionem in errorem adducto, pariterque a Comitiologista decepto, Trorbacens. descript. cap. 2. Illud vero recte se habet, quod Principes Badenses et Palatini ratione Comitatus Sponheimensis circulo superiori rhenano tanquam Ordines Circulares comprehenduntur, tributaque imperio solvunt: (Badens Sponheimb/ Pfalz Sponheimb/ Ober Rheinische Kreyßstände.) unde non sequitur, propter eum Comitatum utriusque competere in Comitibus suffragium principale. Tum vero Serenissimi Principes Badenses tria duntaxat suffragia principalia, quae ipsis ratione Badensae, Durlaci et Hochbergae competunt, in Comitibus ferunt; Comitesque Palatini in univsum quinque suffragia principalia ratione Lutheriae (Lautern) Simmerae, Neuburgi, Biponti, (Zweibruck) et Lauterecciae habent: electorali suffragio non adnumerato, constatque hodie, electorem Palatinum tria suffragia dare, unum, quia et est elector Palatinus ad rhenum, alterum propter Lutheriae, tertium propter Simmerae Principatum, iure agnationis nuper ad eum 1673. morte Ludovici Henrici devolutum: atque hanc ob causam eius principatus ratione an. 1654. non subscripsit Elector, qui in futuro, quem speramus, ressu omnino est subscripturus. Interim de Comitatu Sponheimensi vid. Seb. Munsterus

sterus l. 5. Cosmogr. cap. 163. Mart. Zeill. Itin. cap. 3. Joh. Hofman. Trorb. de-  
script. l. c. Chronicon Sponheimense Trittenhamii mutationes familiae Spon-  
heimensis Comitum non enumerat, nec personas aliter attingit, quam quatenus ad  
ecclesiae, praecipue Trevirensis monasteriique Sponheimensis regimen pertinuerunt,  
veluti Everardus, Stephanus, huiusque filius Mezenbarthus Comites Sponheimenses,  
quorum hic monasterium Sponheimense fundavit, eiusque uxor Mechtildis, et filia Hil-  
trudis sub ea ratione memorantur, an. 1044. 1101. 1124. 1130. 1177. Vir aliqvi  
diligentissimus fuit scriptor istius Chronici Tritthemius, et multos atque egregios codi-  
ces ex antiquis Germaniae monasteriis sibi comparavit, teste viro nobili et exquisito  
docto eodemque Tritthemii singulari atque ob doctrinam coniunctissimo amico, Bilibaldo  
Pirckheimero in dedicatione Fulgentii, cuius editio 1519. Haganae apud Elsa-  
tios est curata.

§. XII. Caetera sigillatim explicare, longum est, neque opus iudico,  
passim nota celebrataque aliorum monumentis conquirere cum cura, et pro-  
lixè hic referre: nisi quod de connubiis nostratium Principum addere libet,  
ea et temporum et felicitatis quadam continuatione inter se congruisse, et  
Dei consilio providentiaque hunc ordinem progressionemque servasse, ut  
quum iustissima haec crescendi via suppeteret, eam cum ratione ingrede-  
rentur, et generis pariter gloriam iurisque sanctitatem iisdem caulis reti-  
nerent ac propagarent. Multis enim indiciis compertum est, diutiores flo-  
rentioresque fuisse Principatus, qui sine ferro et armis, quam qui cupidita-  
te habendi, ac per vim, nec sine caede sunt acquisiti: propterea quod Prin-  
cipes quoque id cum omni hominum genere commune habent, ut iuste ac-  
quiroendo finem agendi optimum consequantur. Quare nostrates Prin-  
cipes vel ob necessitudinem familiae coniunctionemque sanguinis, vel ob con-  
nubii foedera pactaque successionum firmissima, vel quia alios dignitate et  
meritis superabant, se atque suam progeniem ornarunt, Principaleque matri-  
monium adauxerunt. De Sausenbergae (p) dynastia Rötelenfi et Badenveilera  
sic egi supra, ut non opus sit repetere, quod adduxi testimonium, quando  
ex pacto summa fide constantiaque inito Christophorus in eos districtus  
ius, mortuoque Philippo successionem obtinuit, remque publicam egregie su-  
stinuit, et laudem gloriamque stirpis, et iura ad eam pertinentia cum digni-  
tate defendit.

(p) Sausenbergae Landgraviatus est sub caractere Comitum, non principum: Quan-  
doquidem Landgraviatus principali iure praediti tantum sunt quatuor Alsaciae,  
Thuringiae, Hassiae et Leuchtenbergicus, ex quibus duo posteriores duntaxat in Co-  
mitibus suffragium sub caractere Landgraviatus habent: electores enim et duces  
Saxoniae non quia Landgravi Thuringiae, sed quia duces Saxoniae, Landgraviatum  
Thuringiae patrimonio ducali innexum habentes in scamno Principum sedent et sus-

fragantur: Landgraviatus vero Alsaciae postquam in veteribus Landgraviis defecit, amisit characterem suffragii Landgravialis, quod adeo verum est, ut quoque Austria, priusquam cessit eo Landgraviatu, neque ratione eius sessionem et suffragium habuerit, neque propter eum membrum circuli rhenani fuerit. Eiusmodi Landgravios sub qualitate Comitum recenset Hermannus Hermes fascicul. iur. publ. cap. 29. n. 5. Eaque causa est, cur in antiquis diplomatis, quorum aliquot vidi, titulum Landgravi Sausenbergae postposuerint titulo dynastiae Rötelenfis. Tum vero Serenissimi nostri Badenses etiam ratione Röteln non exprimuntur in circulo rhenano, salvo alioquin iure tituloque nostratum Principum, qua Longavillani, qui ob Roetelam titulum Marchionum Rötelenfium sumserunt, iustam vero civilemque possessionem et dominium nostrates summa ratione defensum retinuerunt. vid. Io. Limnaeus tom. 4. addit. ad l. 1. c. 7. n. 26. pag. 42. ubi nihil annotavit Ph. Andr. Oldenburger in Limnaeo enucleato l. 1. cap. 5. p. 33.

§. XIII. Aliquoties tamen eius haereditatis, quae connubio nostratibus obvenire debuit, non sunt facti participes, quod spem augendae rei eriperent alii, propositumque cum honestissimis laboribus coniunctum frustrarentur. Id quemadmodum acciderit, supra indicavi, cum traderem de casu stirpis Marchionum Austrio-Babenbergicorum, quibus Hermannus Marchio eius nominis III. ex capite matrimonii cum Gertrude Austriaca contracti successurus erat, si quale ius, talis fortuna ei affuisset: sed quia obstabat aemulatio competitorum, et ordines eius regionis non multo post mutabant animos, secessionemque ab eo faciebant, quibus rebus evenit, ut Otogarus dominandi cupidissimus rex Austriae ducatu porriretur, et Gertrudis adversae factioni cedere coacta ab haereditate excluderetur, percussaque Neapoli Friderico, eius et Hermannii Marchionis filio, Agnes quoque utriusque filia iure suo privaretur. (q) Melius cecidit affinitas Rudolphi Hochbergae Marchioni, quum Iohannes Friburgius dynasta, (r) quem Rudolfus et impense amavit, et coluit, ei Badenveileram et Novocastrum legavit, quae postea in familiam Badensem omni iure transferunt: quoniam Novocastrum (s) transactione pervenit ad Ducem Longavillanum, ad quem etiamnum tanquam Burgundiae Helveticae civem spectat.

(q) Quod non dissimulant Austriarum rerum scriptores, interque hos nuper auctor tractatus de Augustissima gente Austriaca, part. I. cap. 36. 37.

(r) Veteres Friburgii Comites, priusquam hercisceretur haereditas, etiam Landgravios Brugoiae se scripserunt, ut diplomata ab Egone II. huius nominis eodemque primo Friburgi Comite, et ipsius successoribus confecta testantur. Conf. Iacobus Menlius de maioribus Maximil. II. pag. 24. seqq. Perinde ut antiquitus Comites Kyrburgenses sese Landgravios Turgoviae scripserunt, apud Stumph. Chr. Helvet.

Helvet. l. 5. cap. 30. *Minime ergo haec affinitas Serenisimis Marchionibus in-  
decora aut impar, sed certe honorifica et utilis fuit.*

(f) *In antiquis Annalibus lego hic fuisse Comites auctoritate validos atque  
opulentos: ex quibus orta Verena Comitissa a VVelschen Neuburg Egoni IV. Fribur-  
gensi dynastiae nupsit, Menlius in dicto libro p. 28. Conf. Bucellinus in Con-  
stantia genealogica p. 11. Novocastrensi Comitum ultimus fuit Iohannes, qui  
anno c13 CDXLIV. sine liberis decessit, et iure legati Comitatum Novocastrensem ac  
dynastiam Badenwilensem, quae alias Badenweiler est, Rudolfo Hochbergae Marchi-  
oni reliquit, Münsterus Cosmograph. lib. 3. cap. 258. Stumphius Chron. Hel-  
vet. lib. 8. cap. 15. Io. Theod. Spreng. iur. publ. l. 3. cap. 21. ubi is de origi-  
nibus familiae non recte existimat, additque illic, VVelsch Neuburg ad Longavillos  
iure supremo pertinere, quod Io. Limnaeus affirmat, Longavillos a Burgundia in  
feudum possidere: quo indicat clientelarem nexum cum Burgundia Helvetica, cuius  
sane civis est. dux Longavillanus, coniunctione communicationeque pagi Bernensis ius  
Dynastiae Novocastrensis retinens, tom. 4. iur. publ. add. ad l. 1. c. 7. p. 44. ex eoque  
Oldenburger Limn. enucl. l. 1. c. 5. p. 34. Conf. Stumph. Chr. Helvet. l. 8. c. 15.  
qui commemorat Novocastrum, quod alii Neoburgum nominant, anno c13 CDVI. ius  
civitatis Bernensis obtinuisse, dehinc aetate Maximiliani I. Caesaris a pago sive Republica  
Bernensi esse occupatum, cumque super eius praefectura inter Cantones Bernenses, Lucer-  
nenses et Tigurinos disceptaretur, tandem ita fuisse conventum, ut prioribus dominis re-  
stitueretur.*

§. XIV. De caetero maximum ex affinitate Badensi fructum cepit fa-  
milia VVurtembergensis, quum Eberhardus bello difficili ac periculoso impli-  
catus, nusquam perfrugium cum dignitate sua coniunctum inveniret, quam  
apud Hassonem (t) Marchionem nostratis gentis, qui profugum excepit et  
tantisper fovit, dum amissa recuperaret. Is vero offensam Henrici VII.  
Imperatoris incurrit, quod Imperialium Sveviae urbium patrocinium clien-  
telare, connivente Alberto I. Caesare usurpatum, dentio affectaret, et iam tale  
quid cum animo cogitaret, ut sane multum e republica petere videretur:  
quare Principes nostri calamitatibus laborantis patriae permoti, pacis nego-  
tium conficere studebant, ac unum id existimatione sua dignum putabant,  
quod eiusmodi esset, ut simul ad Sveviae et necessariorum Principum ad-  
versam difficilemque fortunam leniendam pertineret.

(t) *Hasso, ut in tabulis genealogicis scribitur, dicitur Rudolfus. Crustius tradit,  
Hassonem Marchionem suscepisse Eberhardum in oppido Besicken custodiendum, An-  
nal. Svev. dod. 3. l. 4. part. 3. c. 1. Conf. Zeill. Chr. Suev. ad an. 1310. Similem in  
modum Rudolphus Marchio amore atque reverentia propinquitatis absternit se a bello  
contra Eberhardum III. VVurtembergensem coepto, dicens, consanguineum suum se  
nolle*

nolle impugnare, apud Io. Nauclerum Chronogr. vol. 2. gen. 46. p. 899. De Christophoro iam supra tradidi, qui nil minus unquam, quam de iniuria necessariis et vicinis inferenda cogitavit, nec imitatus est alios, quorum cupiditati stimulum addidit sententia in Palatinum a Maximiliano I. lata, de quibus vid. Augustinus Brunnus Catal. elect. Palat. p. 52. post eum Dan. Pareus supra adductus in hist. Palat. p. 245. seq. Nicolaus Basilius append. ad Naucleri Chronograph. gen. 51. p. 959.

§. XV. Nec modo consuetudine quadam, sed etiam firmitate animi certa que agendi sententia utilia et salutaria patriae negotia perfecerunt, tantumque abfuit, ut inique et insolenter aliquid facerent, ut quoque de disfitis bene mererentur, et Comites VValdeccios, multis Principibus necessitudine in-nexos, beneficiisque ab ultimis Germaniae regibus ornatos, gratia et auctoritate sua iuarent, adeo quidem, ut VVolrado IV. iuniori eius stirpis ex propagine Isenbergo Arolseni Comiti, ob honorem aetatis et prudentiae laudem minime hic reticendo, spem ducendae Annae, Iacobi Marchionis et Elisabethae Culemburgensis filiae, haudquaquam eriperent, fructumque insignis et opulenti huius Comitatus, qui in clientela Hollandiae est, (u) libenter ren-querent, propterea quod Florentius ultimus Culemburgi Comes haeredem scripserat eius Comitatus Annam, ex Elisabetha filia Iacobi Marchionis uxore neptem. Iacobus Princeps per se egregius et sapiens fuit, sed a Iohanne Pistorio, viro alioque erudito, atque in rebus patriis maximopere versato, circum-veniri se passus, sacra avita deseruit, sed priusquam efficeret, ut inveherentur novi ritus in patriam, publiceque reciperentur, rebus humanis est ereptus: quod ubi evenit, Ernestus Fridericus Iacobi frater religionem summo studio restituit, rei que publicae perturbatae consuluit, mortuoque patruale Ernesto Iacobo, res omnes bene et sapienter curavit, cumque hoc consilium ex ani-mi sententia confectum dedisset, postea accidit, ut tractus in alias partes una sacrorum voluntate se cum Reformatis coniungeret, cuperetque idem fieri a ditionis suae populo, quod dum agebat, mors nec opinantem abstulit, destinationesque impedivit. (x) Post huius decessum Georgius Fridericus natus minimus Princeps, fortunam dignitatemque suam multa pietate religionisque incredibili et constanti amore illustravit, Marchionatumque metu et disidiis confusum suscepit administrandum, et Deo iustaeque causae confusus, neque rebus adversis timidus fuit, neque prosperis elatus.

(u) V. D. E. Cont. X. ad an. 1664. p. 241. eaque de causa feudum Batavo-Gelricum nominatur, cuius nomine Comes anno 1664. ob admissum Mortaignii pla-gium, vocatus est in curiam Hagensem, is vero quam nil praeter officium fecerit, ostendit graviterque comprobavit: conf. Mart. Zeill. Itinerar. Germ. pag. 440. Quod non debet porrigi ad dynastias Palat. et VVitten, quae sunt nullo interiecto

S. R. imo

*S. R. imperio obnoxiae, sive ut loquuntur feuda immediata. V. scriptum pragmaticum, quo continetur deductio immedietatis VVitem, veteris Baroniae Comitum Culenbergicorum: atque adeo haec non pertinet ad pactionem pragmaticam 1648. inter Hispanos et F. Belgas initam, quod tanquam caput iuris publici est observandum.*

(x) *De Iacobo vid. Dav. Chytraeus Saxoniae lib. 29. p. 820. Jacob. Aug. Thuanus hist. lib. 99. ad ann. 1590. Elias Reufnerus op. gen. p. 517. Phil. Jac. Spenerus Syll. geneal. nov. edit. p. 632. Ex Anna Iacobi Marchionis filia VVolradus IV. genuit filium natu maiorem Philippum Theodorum, universalem, ut in foro loquuntur, haeredem a Florentio Comite Culenbergensi testamento institutum, Ioh. Sande Belg. hist. epit. p. 319. Philippo Theodoro, cuius sororem Mariam Elisabetham duxit Fridericus V. Marchio, superstes fuit filius Henricus VVolradus, qui relictum a patre Isenbergo-Valdeccium et Culenburgicum Comitatum crevit: eo sine liberis an. 1663. defuncto, patruus ipsius Georgius Fridericus, qui hoc tempore Auriaci Principis in bello Belgico legatus est, iure agnationis utrumque Comitatum obtinuit, is ipse, qui an. 1657. VVolrado V. Comite Arolsa-VValdeccio mortuo, acquisivit quoque Arolsensum Comitatum, et auctoritate pariter fortitudineque eminet inter suos.*

§. XVI. Illud etiam huc pertinet, ut dicam, Nostrates Principes in ea Sveviae parte sedem tenere, qua secundus eius districtus (y) continetur, quem cura virtuteque sua procurant egregie et constantissime tuentur, repurgantque a latrociniiis hanc oram et provident, ne tranquillitas publica labefactetur quadantenus ac subruatur. Comitatum Ebersteinium pro parte possident, et in oppido Gochsheim, quod Ebersteinii Comites (z) iure clientelari habent, domicilium insigne Menzingianum lege fiduciaria quoque a Marchionibus dependet, argumentoque est iurisdictionis in Craichgovia firmatae, (aa) quam ab antiquissimo tempore retinuerunt. In Ortenavia ob dynastiam Lohr (bb) controversiae disceptationesque coeptae sunt quidem et diu continuatae, sed quarum capita huc revocare mihi non licet, fateri autem incumbit, Principes nostros multis abhinc seculis in Ortenavia late feliciterque esse dominatos, Badenamque ipsam caput provinciae ibi collocatam, unoque lapide ab Rheno distantem accolis demonstrare antiquitatem suam, Mahlbergiam, quae ab arce veteri hoc nomen accepit, plane in ditione sua tenent, et hanc perinde ac reliquas Principatus sui civitates legibus et iudiciis bene constitutis moderantur, inprimisque in superiori Marchia fundos vineasque opimas et fertiles habent, optimique inde redditus ad eos perveniunt, maxime ad nostratam Marchionem Durlacensem, adeo ut divus Fridericus VI. quotannis fere uberrimum eius regionis agrum peragraverit, curasque cum virtute

tate et gloria principali otio distinxerit, veteres reges Principesque imitatus, qui ruri molestias taediaque imperii saepissime lenierunt, ut alacriores ad munia aulae gravioraque rerum negotia redirent.

(y) *A Prorheno (Prurhein) in Marchiam Badensem usque ad Rhenum versa Offenburgum, Gengenbachium, Geroldseck, atque iterum in nostratam Marchiam versus Roetelam et Hochbergam usque ad anteriores regiones Austriae et fines Helvetios, atque hinc ad Danubium versus Segmaringam, Zolleram et Zechingam usque ad limites Ducatus Württembergici obzunt hoc munus Marchiones nostri, districtumque Sveviae II. primario et velut ductores procurant, Mart. Zeill. Chr. Sjev. in praefat. descript. locor. Sjev. Ernestus Gockelius ob peritiam rerum Svecicarum luculento elogio dignus, de circulo Sveviae pag. 59. conf. Schwäbische Kreisordnung p. 74. add. Iohannes Deckherr in Comment. de reb. Cameral. pag. 144.*

(z) Zeiler. Chron. Sjev. p. 475. et Itiner. Germ. cap. 32. p. 449. *De Ebersteiniorum antiquitate, insignibus, rebus gestis, quatenus in Ottonis M. tempora reiciuntur, Martin. Crusius annal. Sjev. l. 4. part. 2. cap. 3. p. 108. seqq. Alioqui propter Comitatum Ebersteinium Marchiones Badenses locum quoque in circulo Svecico tenent, Comitibusque eius annumerantur, vid. novissima Circuli Sjev. descriptio ex manuscripto Davidis Gutheri apud D. Gockel. de Circ. Sjev. p. 32. eosque adeo in serie Comitum Svecicorum recte numerat, Iohannes König Inst. Geogr. p. 59.*

(aa) *In Kraichgavia, quam singulari oratione descripsit Dav. Chytraeus, auspicio beneficioque Friderici II. Imperatoris Marchiones nostri sedem sibi fixerunt, Seb. Munsterus Cosmograph. cap. 349. conf. Zeill. Itiner. Germ. cap. 32. p. 448 et Chr. Sjev. p. 535. De nobili Menzingiorum gente V. Chytr. Orat. de Creichgaea p. 62. edit. Freherianae. Is tractus, cuius aditum aperit Pforzheimium, ab amne Kraich nominatus, Rheno iungitur, ac in finibus Sveviae Franciaeque Orientalis e regione sylvae Hercinae iacet. Unde intelligitur, quale sit, quod scripsit Iohannes König, Neccarum interluere praedictum Kraich. Instit. Geograph. p. 57.*

(bb) *Lobr oppidum, unde huic dynastiae nomen additum est, ad Schutteram situm in tractu Ortenaviae, quae post Mortenaviae nomen tulit, iam olim fuit ditionis Marchionum: \* hinc praeter historicos Cosmographi illud appellant oppidum nostratis Marchionatus, Seb. Munsterus Cosmogr. cap. 264. Iohannes Nassovii, partim ditioni Marchionum Badensium, partim iurisdictioni horum Comitum*

\* Dynastiae Roetelenses et Saufembergenses vocantur domini Ortenaviae, apud Seb. Rapp Cosmogr. p. 283.

Comitum ascribi coeptum est, donec ibi post facta mutatio fuit, de qua vid. Zeill. Chr. Sjev. p. 577. collat. Itiner. Germ. c. 31. p. 408. Quantum ad praetensionem domui Badensi competentem ex capite Annae Mariae Gerolseckiae Friderico V. Durlacensi nuptae, vid. Inst. pac. Osnabrug. art. 4. §. de Baronatu: Spenerus Syll. gen. pag. 636. et theatr. Nobil. part. post. Ind. in Geroldseck, atque ex eo Burgoldensis Notie. imper. part. 1. pag. 499. Neque enim hic trado de Gerolseck Alsatiae in Vvasgovia, quae Palatinatum a Lotbaringia separat, sed de dynastia, sive Baronatu Sveviae, cuius proceres antiquissimae stirpis anno 1634. in Iacobo ultimo Gerolseckio Barone defecerunt: is post decessum Mariae Magdalenae, quam Bucelinus perperam eius haeredem unicam nominavit, reliquit filiam Annam Mariam, primum Friderici Comitis Solmensis, deinde, eo mortuo, Friderici Durlacensis Marchionis uxorem, anno autem 1649. sine liberis functam. Ita eius dynastiae fundus et bona beneficiaria iure caduci ad S. R. I. devoluta ritusque fiduciario Comiti Cronbergio attributa sunt: reliqua et patrimonialia et publicis tabulis ad liquidum perducta domui Badensi obvenire debere, Imperatoris imperialisque sententia est iudicatum, V. d. art. 4. §. Fridericus Marchio. Titulus eius familiae Principum gentilicium et pragmaticum est, quod sunt atque appellantur Marchiones Badenses et Hochbergenses, Landgravii Saufenbergenses, Comites Sponheimenses et Ebersteinenses, Domini Roetelae, Badenvilae, Lobrae, Mablbergae, etc. etc. conf. Io. Limnaeus addit. ad lib. 5. cap. 5. p. 739. seq. Spreng. iur. publ. l. 3. c. 21. p. 451. Zeill. Chr. Sjev. p. 474. Dignitas sessionis iure antiquitatis et pretio suo astimata talis est, ut nulli competitorum ea praerogativa concedant, etsi tranquillitatis causa receptum est ius alternarum, ac inter propagines etiam unius eiusdemque stirpis id obtinet, transactioneque publica est confirmatum, Inst. pac. Osnabrug. d. art. et §. Iac. Andr. Crusius de praeminentia lib. 3. cap. 18. p. 730. 731.

§. XVII. Verum enim vero his rebus non licet immorari, quum datur occasio commemorandi expeditiones a Friderico VI. susceptas fortissimeque perfectas, quarum sive apparatus et vires, sive ordo et progressus, sive fortuna eventusque a me considerentur, omnino prudentiam ostendunt felicitatemque, prout in imperatorem belli cadit, plane singularem. Fuit enim tota eius vita plena periculorum, exercitaque in castris sic enituit prorsusque celebrata est, ut amore patriae et studio tuendae libertatis nemini concederet, cuperetque campum, in quo virtus eius per se ipsa incitata, neque impedita excurreret, animusque Divi Patris Friderici V. similis, et praeceptis exemplisque domesticis praeparatus planeque firmatus cognosceretur. Is quum annum aetatis septimum decimum ageret, Lutetiam Parisiorum, urbem et moris elegantia, et procerum frequentia, et regis

Pp

maxi-

maximi fede domicilioque clarissimam A. M DC XXXIV. adiit, commoratusque triennium, summorum hominum voluntates sibi devinxit, talisque est habitus, ut non tantum in ludo Martis et palaestra opera eius magni esset, sed iam illa quoque aetate, cuius tempus multi patiuntur obscurum prorsusque inglorium latere, aperto bello idoneus iudicaretur. Cuius rei fama cum percrebuisset, Bernhardo Vinariensi, mox victoria apud Somnam nobilitato armorum societate A. M DC XXXVII. se coniunxit, et profliganti Mercium occupantiqve aliquot Burgundiae urbes opportune affuit, ingentemque ex eo famam sibi comparavit, quod ducem belli artibus et magnitudine animi clarissimum secutus, laborum periculorumque initium a memorabili praelio sumsisset, et dato hoc laeto prosperoque specimine, pari constantia apud Mahlbergam pugnasset, praesentemque animo dimicanti Saxoni, et firmum pariter ac fidele auxilium attulisset. Nam sub eo tyrocinium posuit, et exemplis excitatus, inter arma signaque fortissime constitit, viresque tunc inprimis feliciter est expertus, quum expugnationis Rheinfeldae adiutor fuit, et inclinatum iacentemque suorum fortunam summo cum rerum suarum discrimine instauravit, nec multo post A. M DC XXXVIII. delatum munus legati cohortis equestris Schoricae suscepit, suaque virtute profectus sociis ac nomini *Protestantium* bene consuluit, Germaniaeque discordi, et ad vastitatem redactae propeque oppressae, pro eo ac potuit, est opitulatus. Quare a Bernhardo laudatus magisque inflammatus ad gloriam effecit, ut in altiore militaris dignitatis gradu poneretur: quae ei occasio fuit prudentiae quoque demonstrandae, cum A. M DC XL. legioni praefectus ad annonam Cassellis advehendam dimitteretur, falleretque consilium, quod ad vim damnumque ei inferendum hostis excogitaverat; sed ubi hic secus factum cognovit, frustra speravit Fridericum sibi occursum, miratus est rationem instituti circumspetissime suscepti, astumque militarem suo ipse testimonio comprobavit. Unde permagna auctoritas apud Hassos confinesque populos ei conciliata est, adeo ut summo in honore haberetur, cum quod multo usu confirmatus res incertas periculiqve plenas feliciter perficeret, tum quia singulari quadam agendi consulendiqve dexteritate studium atque voluntatem suam probaret. Quare ad ardua negotia adhibitus, de sententia Senatus militaris in Galliam missus de statu belli renunciavit, rationesque consiliorum idoneas et salutare Armando Richelio consili Gallici summo administro, confectisque plenae eius regni potentiae cogendaeque immensae pecuniae rationibus claro exhibuit, eaque de causa magna cum dignitate et perhumaniter est acceptus, quod belli condiciones proposuisset multo utilissimas,

mas, fortunaeque prope collapsae instaurandae auctor adiutorque esset, et ad summam fidem diligentiamque nihil reliqui fecisset, inprimisque Iohannes Bannerius fere ad ultima redactus, id magni beneficii loco habuisset. Erat enim tunc turbidus tristisque Germaniae status, ut nemo legibus, omnes armis experirentur, Principesque non haberent remedium servandae libertatis nisi bellum, quod sedatis post turbis, pace Osnabrugae composita finitum est, redintegrataque est pristina animorum coniunctio, resque publica fide et studio inter se congruente rursus corroborari coepit. Cum vero perturbatis patriae rebus statim pax certa ex usaque reipublicae futura constitui non posset, ex Gallia redux sociis apud Merseburgum velitantibus subsidio venit: inde Halberstadium versus perrexit, mortuoque Bannerio in agrum Brunsvicensem pervenit, magnisque viribus pugnavit. Sed neque sic communi patriae quies otiumque reparari potuit, excitatis in ultionem animis, deque urgendo bello potius, quam de eo finiendo cogitantibus: his rebus factum est sub finem anni M DC XLI. ut cum sorore sua Iohanna, quam viduam reliquerat Bannerius, ex Germania Holmiam proficisceretur, ubi cepit consilium ineundi matrimonii, acceptaque in uxorem Christina Magdalena, quae Caroli Gustavi postea Svedorum regis soror, et Gustavi Adolphi ex sorore Catharina neptis erat, magno apparatu et pompa A. M DC XLII. cum dies Andreae in fastis esset, solennia Principalium nuptiarum peregit. Hac nova necessitudine confirmatus, anno M DC XLIII. in Germaniam reversus est ad capeffendum bellum, res autem tunc ita ferebat, ut prius iter susciperet in Galliam, quo confecto rediit in Alsatiam, atque hinc profectus ad occupandam Rotvveilam, urbem vetustate famaque tribunalis a Conrado III. instituti celebrem, vi armisque effecit, ut deditione facta, praesidium reciperet, salutemque pacisceretur. Eo incepto feliciter perfecto, apud Dutlingam congressus est cum Bavaris, quibus fortiter restitit, et cum eos ne sic quidem prohibere aditu reprimereque posset, sapienter se recepit, fortunamque ut semper in bello anceps est, etiam accepta clade correxit, salvusque ipse, qui proxime a periculo abfuerat, evasit. Hoc ubi accidit, publice utile sibi que decorum duxit, desistere a bello, iuvareque omni studio consilia pacis, nullique operae et sumtibus parcere, quibus ad id institutum consequendum uteretur. Quare regressus in Galliam, permansit in hoc tali proposito, repetiitque Pome raniam unde superiori tempore, relicta VVolgasti conjugis discesserat, ut facile intelligeretur, eum non tam de sua, quam de publica re laborare. Cum autem confideret, se tam salutaris instituti causa praesentem esse oportere, ut efficacius huic negotio operam daret, qui sciret id pergratum in esse omnibus patriae

patriaeque fructuosum, quo labefactata Germaniae dignitas restitui prorsus redintegrarique posset. Igitur A. M. DC XLVII. in VVestphaliae fines ingressus, Osnabrugam, ubi pacis gratia conventus agebatur, peruenit, consiliaque illuc pertinentia quanta potuit dexteritate perfecit: qui labor et summa cum ratione susceptus est, et apud omnes, qui deliberatum convenerant, pondus habuit, magnopereque est laudatus. De qua sententia adeo deduci non potuit, ut, quoque oblatam a Suedis generalem militiae praefecturam constanter recusaverit, causatus amorem pacis, cuius spe iam tota patria quasi nitebatur. Finito tandem certis aequisque conditionibus bello, quod A. MDCXLVIII. evenit, prima eius cura fuit proficisci Norimbergam, ubi anno post MDCXLIX. de expromendis imperii decretis executioneque pragmatica agebatur: mox Patrem fide et constantia validum Principem Augustae Rauracorum invisit, reflexoque inde Norimbergam itinere, abiit in Pomeraniam, transitisque Poloniae finibus, coniugem feliciter in patriam adduxit, Durlacique aulae sedem fixit. Id quanto eius commodo gaudioque acciderit, dici non satis potest, nec quisquam ignorat, magnum apud nos positum fuisse beneficium, quum receptus pace Princeps, patriae negotia sic explicavit feliciterque expedit, ut anno MDC LIII. nomine Patris, invicti pietate patientiaque Principis Ratisbonam ad Comitata proficisceretur, partesque suas tam egregie et fideliter obiret, ut Ferdinando III. cui veteri necessitudine coniunctus erat, summopere se probaret, essetque hic aditus ad Caesaris pacifici gratiam constanter retinendam. Nam et eius coniugis inaugurationi interfuit, renuntiatioque Romanorum regi Ferdinando, quem nominis distingvendi gratia IV. appellant, testatum fecit studium, officiumque fide coluit et declaravit, adeo ut diem omnium Principum veneratione sanctum, splendoreque maximum, solenni sua praesentia ornaverit, Patrique eius Ferdinando III. promte ac fideliter praesto fuerit, et cultu pariter sermonibusque gravissimis eandem dignitatem servaverit, quotidieque auxerit, et summa cum laude constantiae sociis necessariisque Principibus comprobavit. Simul et aulae Proceres officiis et consuetudine cum eo certarunt, diligentissimeque Principem nostrum observarunt, neque nulla in re ius causamque eius neglexerunt. Nec modo duravit ibi amor, sed crevit etiam in augusto filio LEOPOLDO, accessionesque maiores habuit, quum virtute et meritis continuaretur. Haec talia cum pacis tempore ageret, et recte faciendo Caesari sponte sua se probaret, tum a belli cura atque cogitatione nunquam abhorruit, et singulari quadam alacritate et prudentia se ad futuras dimicationes comparavit, ut quamvis non esset bellum, providum tamen rerum belli.

bellicarum temporumque instantium et casuum fortunae sese testaretur, posteaque si coeptum istud esset, periculumque impenderet, ad hostem sustinendum parato confirmatoque animo esset. Proinde ad bellum, quod anno MDCLV. Svedi apparabant, invitatus, non recusavit, propterea quod Carolo Gustavo regi tanquam affini suo eam operam navandam putabat, in eo praesertim bello, quod contra externam rempublicam gerebatur, quodque tale erat, ut eius opinio famaque esset maxima, quae exciti inprimis Germani magno numero illuc confluerunt, et quasi ibi fortitudinis Martiae post pacem Westphalicam aliquandiu intermissae, iam rursus explicandae datus locus esset, oblata ea occasione libentissime utebantur. Quare cum fratribus Carolo Magno et Gustapho Adolpho ad belli eius societatem accessit, hostemque vi et armis prostravit, plenusque animi contra Lubomirskii et Czarneskii cohortes pugnavit: nec multum abfuit, quin totus regis exercitus in periculum veniret, si, quum maxime eius auxilio opus erat, infesto agmini tempestive non occurrisset. Eo tempore munere legati generalis militiae equestri fungebatur, quum ad reprimendas equitum Polonicorum lingua moribusque dissidentium turmas festinato itinere Sendomiriam contendit, adortusque obvius, et resistendi impetu fatigatos repulit, sed acrius pugnanti accidit, ut quando hostium aliquis aequitare ferocius, pilaque plumbea eum verberare constituerat, a rustico eius destinationis gnaro submonitus, periculum evitavit, mox ubi per exploratores cognitum est, Polonos Sendomiria potitos, VVarckam, unde cum expedita suorum manu abierat, regressus, maturum atque utile suae defensionis consilium cepit: erat enim appropinquanti hosti numero viribusque impar, et cum tali in discrimine versaretur, novam turmam subsidio venturam sperabat: sed ea praeterquam paulo serius advenit, tanta quoque hostium multitudo fuit, ut vix appareret, quemadmodum suos liberaret. Cum enim tribunus maior, quem ad custodiendam aditum dimiserat, a Turcis Scythisque, quorum ad quadraginta millia numerata sunt, summo veretur, res usque eo in arcto esse coeperunt, ut diceret Princeps, mori se malle, quam committere, ut turpi fuga hosti prodesset: itaque acie congressurus turmas in patenti campo explicavit, impetumque Lubomirskii et Czarneskii tribus horis intrepide sustinuit, cumque stationes ab eo dispositae, turmaeque ad praesidium collocatae disturbarentur, verendumque esset, ne turba invadentium exitio ipsi foret, spatium ad receptum nactus, praeter omnium spem evasit, clademque ab suis avertit. Nec dum incepto absistebant hostes, eumque ad veterem usque arcem, quae Zirsko nominatur, insecuti, in summas angustias redactum opprimere cogitabant: sed nil timide fecit Princeps, maximeque id spe-

Etavit, ut rationes honestissimae defensionis conficeret, passurus quippe omnia potius, quam eam fortunam, quae nomine suo et societate regis indigna esset. Itaque stetit fortiter, impetumque Polonorum subinde repetitum excepit, constantiaque fregit: ea de causa recessit hostis, praesertim quum explorasset adventare Carolum Gustavum regem, qui traiecto Sano fluvio auxilium Principi laturus venerat: neque tamen extra periculum fuit, quando cum rusticis licentia militari vagantibus saepe confictatus, caute iter iniit, periculumque prudenter declinavit: Vix tunc Varfaviam processerat, cum regi ex Polonia maiori exercitum adducendi obviam profectus, castra cum eo coniunxit, deque Polonorum conatu et consilio praefatus, ei voces expressit amoris plenas, testimonioque summae laudis comprobatae: nam non modo gratias dixit cognato Principi, sed etiam meritis eius hoc debere se affirmavit, quod si sine eo fuisset, non dubitare se, quin maximum damnum accepisset, exercitusque in praesens periculum venisset. Tum vero hostis, qui per insidias et aperto Marte eum aggressus est, de fortitudine eius commemoravit: rex autem omni genere honoris cumulatam donavit praefecturis Rehdena et Lipincko, ut haberet, unde vires reficeret: praeterea ipsi attribuit duas turmas, in numerum ordinemque cohortis equestris redigendas, ut sibi acie dimicaturum maioribus viribus praesto esset, consiliique rationes ex propinquo cognosceret, et si opus esset, confectas daret. Sed ubi hostis pro more suo nil ultra velitationes ausus est, rex Thorunium versus movit, partemque copiarum transduxit in Prussiam, robur in maiori Polonia reliquit, fidei imperioque Caroli Gustavi Vrangeli committendum. In castris regis versabatur Princeps, et virtute experientiaque militari summis ducibus se aequabat, proptereaque Steinbockio et Gardio erat coniunctus societate imperii militaris, atque impigre et fideliter haec munia obibat, permutatisque vicibus rem bellicam strenue ac diligenter procurabat. Per id tempus rex Marienburgi substitit, legatos Turcicum, Russicum, Tataricum Cosacicumque auditurus, quum equites rusticique in Masovia collecti ad arma concurrebant, quos ductu suo dissipavit, acceptis in eam sententiam ab rege mandatis, ut cum aliquot expeditis cohortibus inconditae multitudini occurreret, quod gnaviter animoseque perfecit, et tot tantisque rebus gestis labentem belli Svedici fortunam fulcivit, brevique post minus titulumque praefecti generalis iussu regis capessivit, propterea quod eius opera diutius uti statuebat, eo maxime tempore, quo Russi in Livoniam insasi, Rigam, caput rerum obsidione clauserant, ut non facile ea urbs maiori in periculo fuerit, atque tunc erat, quum minis metuque percelleretur. Eo consilio Princeps deligebatur, ut aspectu praesentiaque cives erige-

geret, sed viam ingressurus a patre Friderico V. revocatur, quod etsi prima specie ei grave videri poterat, quia amicitia regis societasque belli ante oculos versabatur, tamen pietate permotus, non recusabat proficisci domum, plus obsequio charitatiqve patris, quam suae gloriae daturus. Reversum pater mirifice amavit, omniqve honore prosecutus est, quod mores institutaqve honestissima etiam retinisset in bello, et nulla cupiditate, cuius falsa opinio plerosqve inter arma tenet, stimulatus, suae voluntati morem gessisset. Neqve eum poenituit propositi, sensitqve factu esse optimum, quod decenti in patrem studio amoreqve recto atqve incorrupto fecisset: eo enim animo erat, ut cogitationes has subinde excitaret, atqve anno MDCLIX. inter suprema exequiarum Patris solennia iucundam eius officii memoriam sancte inviolateqve servaret.

§. XVIII. Patre maiorum tumulis illato, Princeps noster fratrum natu maximus haereditatem *Marebiae* adiit, et praeter gravitatem regendiqve prudentiam, virtutes eo certe fastigio dignas, omnes religiosi Principis partes obiit, quin et acerrimus iuris defensor, rei qve publicae custos et conservator diligentissimus fuit, curaeqve huius testificatione animam amoris plenum omnium statu temporum, et rebus etiam bello inclinatis populo suae ditionis sat abunde luculenterqve declaravit: tum *Gymnasium* Durlacense ad religionis studia et mores disciplinamqve animorum a patruo magno Ernesto Friderico auspiciatissime institutum, dehinc vero bello dissipatum propeqve collapsum, Patrisqve auspicio instauratum, redivisusqve auctum exornavit, benignissimeqve amplificavit, ut cum doctrina, tum ingenii spe praemiorum munifice et perclementer invitatis floreat feliciterqve abundet. Neqve eo secius ad laudem fortunamqve Principis pertinet, quod vitam famamqve suam in liberis propagavit, expressamqve virtutis et constantiae imaginem in filiis, Friderico Magno et Carolo Gustavo vidit, quorum studia et voluntates rectissimae sunt, et animis inter se coniunctis idem sentiunt atqve agunt, nullamqve utilitatis suae rationem a bono publico seiungunt, seque invicem exemplis et vocibus sanctissimis confirmant, Patriqve Divo eum honorem etiam nunc servant, quod eius morem consuetudinemqve imitantur. Cuius cum omnia fuerint egregia, tum in magna etiam honoris parte ponendum est, quod Augustissimo LEOPOLDO in bello et toga fidem fortitudinemqve demonstravit, proqve eius salute et gloria multos labores periculaqve suscepit, cumqve iniustis barbarorum armis peteretur, expeditionis contra Turcas decretae rationes prudenter confecit, et manu consiliisque sociales cohortes defendit et providentissime curavit. Ex eo magna rursus gloria ei parta est, quod Caesaris existimationi pari-

pariter salutiqve orbis Christiani consuleret, et quae factu essent optima, cerneret, accurateqve iudicaret, variantibusqve sententiis causas svadendi cum usu disciplinaqve belli congruentes reperiret, resqve omnes summa cum circumspectione moderaretur. Quibus meritis praeterquam quod multa beneficia rependit Caesar, hoc quoque perlibenter ei tribuit, ut memori animo tot tantisque beneficiis gratiam persolveret, et cum propter antiquissimae stirpis originem, tum propter iura necessitudinis insigni praerogativa tituloqve *Serenissimi* tabulis publice datis ipsum ornaret. Cum vero anno M DC LXIV. Caesaris rationes ita ferrent, ut bellum Turcicum finiretur, in pacis artibus conqvievit, et anno M DC LXVI. Caesari, cuius forti invictaqve defensione apud Hungaros sese illustraverat, solennia nuptiarum peragenti Vindobonae cum magnifico comitatu affuit, coramqve est gratulatus. Ab eo tempore non fuit in armis, et multis laboribus magnisque impensis salutem publicam custodivit, quin et curam Principe dignam ostendit, quum connubiis et affinitatibus domum suam firmavit, et fortunas atqve facultates suas in amorem utilitatemqve hominum ditioni imperioqve suo parentum impendit. Vere enim reputabat, infirmos esse Principatus, qui his et talibus praesidiis non fulciuntur: quae cum sententia esset, Serenissimo Principi Friderico Magno datus est locus quaerendi firmamenti, quod consilium A. M DC LXX. usu probatum est, quum sponsa delecta, domumqve ducta est Princeps Gottorpiniae stirpis Augusta Maria, Friderici Ducis filia, quae non modo curarum eius lenimentum est, sed etiam societate fortunae Principalis dignitatem suam commodaqve patriae tuetur, nec unquam satis magnis laudibus efferi potest, propterea quod sanavit vulnus A. M DC LXII. morte Christinae Magdalenae acceptum, solataqve orbitatem foceri, sarcivit superiorem iacturam, omnesqve erexit ad spem propagandi generis et continuandae posteritatis.

§. XIX. Cum vero ea domus hoc praesidio munita firmataqve esset, tum paucis post annis infestata est Germania, salusqve reipublicae periclitari coepit: itaqve delectus est Fridericus VI. qui communem patriam consilio armisque defenderet, metuqve maximo liberaret: annus tunc agebatur M DC LXXIV. quum Caesar Senatusqve imperii censuerunt, iniurias Principibus Germaniae ab rege Galliae illatas non esse negligendas: igitur de repellendo bello factum est decretum, cui summo cum imperio praefectus est Princeps noster, ea lege, uti fidem reipublicae obligaret, et auxiliis atqve opibus imperialibus fultus, quod ex usu esset, administraret. Quod munus et promte suscepit, et laudabiliter gessit, et copiis magna cum diligentia ac dexteritate praefuit: tribunos pariter et milites ad exeqvenda mu-  
nia

nia adhortatus, nullum providi ducis officium praetermissit, et quid morari se impedireque posset, solcite observavit, itinera aditusque hostium accurate circumspexit, nec curis, neque transituum molestiis unquam se defatigari est passus. Ita enim salutis publicae consulebat, ut locorum iniquitatem repentinisque incursiones diligenter prospiceret, summoque studio evitaret, haud nescius propinquae potentiae et astus militaris, quae cum specie simulationeque tegerentur, incautis saepe ac securis maximum periculum afferrent. Proinde multas hostium destinationes vel occupavit, vel elusit, et A. MDC LXXVI. grave demum obsidionis Philipsburgi (cc) onus suscepit, cuius incerta expectatione tota tunc Germania suspensa tenebatur, cuiusque tantum erat momentum, ut plaris esset istud expugnare, quam iustum Gallorum exercitum fundere et fugare: quippe quod castrum Germaniae libertati oppositum haecenus obiectumque fuerat, unde summo patriae detrimento factae sunt quotidie eruptiones, finitimaeque regiones crudeliter vastatae, incendiisque foedatae, triste ac miserum spectaculum praebuerunt, usque dum Principis nostri ductu exercitus imperialis ad urbem situ operibusque munitissimam admoveretur, et cum neque fame, neque inopia ad deditionem compelli posset, virtute et consilio obsidentium perterrita, tormentorumque ictibus fracta tandem expugnaretur. In qua obsidione Principis consilium et prudentia eluxere, non modo quod ipse nil recusavit, quo opportune celeriterque omnia perficerentur, sed etiam quia filios iuventutis et summi exempli Principes in castra adductos secum habuit, usque rerum confirmavit. Sed dum alter eorum Fridericus Magnus ibi versatur, ardetque gloriae studio, et praesentia tot fortissimorum Principum tribunorumque excitatur, maximeque solertia et consiliis viget, nec opinantem morbus invasit, quo factum, ut valetudinis causa revocaretur, Patrique et fratri, qui primus ad oppugnanda castrum opera aggressus est, conficiendum id relinqueret, cuius se esse alioqui socium vehementer cupiebat. Dedito post castrum, quod eiusdem anni XXX. Augusti accidit, patria securitatis fructum cepit, vindicataque in pristinam libertatem, vim externi dominatus fraenumque accolis Rheni antehac molestissimum haud perimescit. Ea laude laboris patientiaeque parta Fridericus contra malevolentiam et suspiciones ingrati seculi firmus, pietatisque plenus A. MDC LXXVII. d. XXXI. Ianuarii decessit, regionesque in fidem accipiendas filio natu maiori Friderico Magno reliquit, qui civibus incolisque suae ditionis sacramento adactis, religione erga Deum, constantia erga Caesarem, studioque in imperium sincero, et rectis exemplis paternum decus servat, negotiorumque principalium dignitatem summa cum

cura atque industria tuetur, ut Marchia, quae ad custodiendos Rheni fines primo condita est, deinceps quoque tranquillitatis propugnaculum murusque esse possit, quae ut praesidiis familiae firmisimis muniatur, vivacique et semper duratura fobole augeatur, omnes mecum cordati fidelesque cives serio et diligenter optant.

(cc) *Philipsburgum, quod antea nominatum est Vdenheimium, ius civitatis accepit a Ludovico Bavaro, cum episcopatus Spirensis praeesset Gerhardus II. qui novum oppidum muro fossaque circumdedit, Gvil. Eisengrein Chronol. Spir. ad ann. 1377. Diploma est apud Nicolaum Bellum laur. Austr. lib. 2. p. 101. Gasp. Ens fam. Austr. p. 159. Eandem in sententiam tabulae a Carolo IV. et Sigismundo Luzelburgicis confectae sunt: unde evenit, ut quum Georgius Episcopus Spirensis afflicto ac pene perduto seditione rusticorum episcopatu suis et suae ditioni subditorum rebus consulere vellet, anno MDXXVI. arcem a fundamento aedificaret, castrumque magis firmaret, Pareus hist. Palat. p. 255. Gasp. Ens d. l. Demum anno MDCXVII. Philippus Christophorus Spirensis Episcopus castrum situ et natura loci per se firmum arte tam exquisite munire coepit, ut Friderico V. El. Palatino vicinisque Badensibus causa esset, cur episcopo novum opus nunciarent, et cum is incepto non desisteret, missis eo Palatinis et Badensibus Commissariis die XXV. Iunii A. MDCXVIII. vallum castrum solo aequandum curarent. Ratio suberat belli civilis et periculi publici, quod ab eo limite non modo Palatinus et Marchiones Badenses, sed etiam universi Protestantes metuebant: tum vero novis istis munitionibus iura Palatina conductus et aperturae, et privilegium urbis Spirensis convelluntur, quin et offensis aliunde Protestantibus tot et tantae suspiciones movebantur, ut haut temere crederent agitari consilium iniuriae sibi inferendae diminuatque libertatis. Etsi autem tunc Principes nostri pro imperii commodis et publica tranquillitate summopere annitebantur, tamen mutato post Germaniae statu id perficere tunc non potuerunt, quod plerique episcopi magna recuperandarum Ecclesiarum suae possessionum spe sublatis, vim roburque armorum in Protestantes vertere suspecti essent: hinc immutata rerum facie et conversis reipublicae rebus Philippus Christophorus, qui inde ab ultimo antecessorum tempore episcopatum Spirensis virginis Mariae patrocinio obnoxium tenebat, castrum hoc Divo Philippo Apostolo sacrum esse voluit, illudque solemniter dedicavit: ab hoc tempore, id est Kalendis Maiis A. MDCXXIII. coeptum est Philipsburgi nomen Bellus laur. Austr. l. 7. ad h. A. p. 757. Postquam enim Fridericus Palatinus bello Bohemico implicatus, infelicique praedio apud album montem 1620. commisso fusus fugatusque est, adversa eius fortuna erectus Philippus Christophorus, reparandi castrum consilium cepit, idque anno MDCXXIII. perfecit, instauratumque castrum clientelae Philippi D. precibus publice factis commendavit. Eius ditioni ereptum est a Suedis ductu tribuni Svedici Schmid.*

Schmidbergii, qui haud parvo Austriorum detrimento occupavit. Non multo post ex patii formula regi Galliae cessum est, quod is perturbatis Germaniae rebus pro Patrono et protectore Archiepiscopatus Trevirensis atque Episcopatus Spirensis eo tempore sese gessit, consilioque Richelii id perutile ac idoneum ad res suas stabilendas putavit, sed an. MDCXXXV. per stratagemam interceptum est rursus a Caspate Baumburgero Ravenbergio, qui antehac eius castrum praefectus fuerat, omnesque vias occasionesque ad castrum aditum explorantissimas habuerat: dehinc anno MDCXLIV. ductu Enguiani Ducis et vice-Comitis Turenii recuperatum Gallicae potestati fideique iterum se permisit, donec anno MDCXLVIII. suasio Mazarinio atque in arbitrio rerum consiliorumque Gallicorum Richelii successore, rex Christianissimus pace Monasteriensi in eo castrum ius protectionis, praesidii et transitus titulo supremi domini ex capite pactiois pragmaticae cessu confirmatoque potiretur. Id vero omne Galliae rex anno MDCLXXVI. iure belli, quod a Caesare LEOPOLDO et socialibus Germanorum copiis gerebatur, amisit, ab eoque tempore ob pacifragium, per quod quaesitis pactiois pragmaticae iuribus culpa sua factoque iniustissimo se privavit, plenae ditioni Germanicae imperialique iurisdictioni est vindicatum, magnoque impendio sanguinis et sumtuum Gallis, qui refugium ibi nuper crudelitatis et licentiae habuere, creptum, asserta Caesaris auctoritate Principumque Germaniae, quae ob id dudum periclitata est libertate. Deditum est a Fatio, non tam annonae, quam pulveris pyrii inopia ad deditioem adacto: Atque id negotium certe difficile, et maxime arduum non mediocri laude prudentiae fortitudinisque Principum nostratum instrumentoque bellico a vicinis Ordinibus advecto feliciter est confectum. Quod castrum sine dubio fato quodam et sinistro patriae omine aedificatum est, idque induxit Caesarem LEOPOLDVM, ut pro voluntate et studio erga Palatinum et finitimos fidosque Germaniae Principes opera et moles ab rege Galliae structas diruere cupiat soloque aequare, siquidem id Elector Palatinus A. MDC LXXIV. ab ipso stipulatus est, recepitque Caesar se curaturum, ut id confectum deus, siquidem ita usrueniat, ut castrum a suo imperiique milite expugnetur. Talem vero paciscendi facultatem habuit Caesar LEOPOLDUS, neque pactus est de re aliena Episcopi Spirensis, sed de iure suis et imperii armis acquisito, propterea quod Christianissimus rex transactione Monasteriensi in eo castrum ius praesidii, quod tunc patriae utilitati pacisque amori remittere necesse habuit episcopus, titulo supremi domini nemini que obnoxio iure est consecutus: Inst. Pac. Monast. §. quarto: ubi ius praesidii perpetuum sine dubitatione cessum est regi Galliae, et ita quidem, ut neque ab Episcopo Spirensi, neque ab imperio nexu quodam beneficiario dependeret, et quoquo modo recognosceretur. Novae ergo is. munitiones, quas ibi Galliae rex, non quatenus castrum dominus, sed quatenus praesidium duntaxat, idque immune a nexu feudali, et solum, adeoque independentem adeptus excitavit, accessiones sunt extra proprietatem eius castrum acquisite, atque ad annexa Gallica su. rematus iure competentia spectant, de quibus

sane prudenter et recte transegit LEOPOLDUS, etsi pactum istud prorsus confectum dare et opera molesque in solidum deicere non fuit ratio horum temporum, et anceps fortuna belli, quod speramus tandem cum pace bona, fida et perpetua commutatam iri, praesertim hoc temporum statu, quo Caesar LEOPOLDUS imperii et rerum suarum satagens in partem acquiescit, et defensione sui et imperii regionum contentus, non manu, sed iure controversias finire studet, et habenda prorogandisque Comitibus auctoritatem firmat, communemque patriam amore et iustitia moderatur, quae vera ad concordiam et potentiam via est: conf. Caesarius Furfenerius, personatus quidem, sed rerum civilium intelligentissimus scriptor, de supremat. Germaniae Principum cap. 64. quam mentem consiliumque rectissimum non tantum formula precatationis Mariencellensis, publicis literis proditam, ac a Petro Valkenierio in perturbatae Europae descriptione pag. 504. repetitam, sed etiam uno quasi tenore vitae et actionum sibi in parte moderationis imperandi respondentium testatam fecit, et subinde etiamnum haud aliter, quam patris curam agens declarat. Eo magis ad laudem Divi Friderici pertinet, quod Caesari tam benigno et iusto, cum in pace, tum in bello semper egregiam fidelemque operam navavit, deque republica optime meritis hac mente atque animo e vita migravit, cui Christianus Keckius sanctioris consilii administrator pro ubertate ingenii et gravitate singulari anno MDC LXXVII. Panegyricum dixit, cuius laudes in mortuo Principe non defecerunt, sed in Friderico Magno eius filio, auspiciatissimoque patriae nostrae Principe, Caesarique cognato, et regum Principumque maximorum propinquo, affino et socio multis et magnis praesidiis muniuntur. Qui regna regionesque exteras Galliam, Angliam, Daniam, Belgium, Italiam communemque patriam Germaniam perlustravit, finitumque molestiae plenis itineribus Marchiam repetiit, atque tunc primum sensit quam sibi rei publicae utile consilium suscepisset, cum quicquid apud externos rectum et frugiferum vidisset, in nostratam rempublicam fortunatissime transtulisset. Quo factum est, ut in regimen Principale inauguratus, virtute et consilii potentiae fastigium teneat, accitis in partem curarum viris, qui rationes multo optimas usu probant, et bene sapienterque munus administrant. Arcana eius consilia Dei beneficio prudentiaque sua perillustris Baro Carolus Sigismundus Cronogkius recte curat feliciterque moderatur, eaque de causa nuper Serenissimi Principis Praetorio est praefectus.

Sequitur genealogia instituto huic prorsus consentiens, eaque ad hodiernam Durlacensem propaginem etiamnum DEI beneficio florentem accommodata.

# GENEALENSIVM

Pag. 308.

*[Faint, mostly illegible handwritten text, likely a genealogical record or list, covering the majority of the page.]*

*[Marginal notes on the left side of the page, partially cut off.]*

MEROVAEVS. \*

CHILDERICVS.

CLODOVAEVS.M. \*\* AVDEFLEDA. \*\*\* LANTHILDIS. Turon. CHROTILDIS Vx.

\*\*\* THEODERICVS. Rex Aufrasiae ex pellice, Turon. libr. 2. cap. 28.

CLODOMIRVS. Rex Aurelianor.

CHILDEBERTVS. Rex Parisiorum, ἀπαις.

CLOTHARIVS I. Rex Svesfionum, mortuis fratribus, ex Theodebaldo et Theoderico Fr. pronepote, totius Galliae Burgundiaeque Rex factus. Huius quatuor filii superstites, sorte regnum dividerunt. Vid. Fredegarius cap. 54. Aimoinus lib. 3. cap. 1. Turon. lib. 4. cap. 3. septem eius liberos adducit, quorum quatuor ex legitimo connubio superstites subiunxi. Conf. P. Diaconus l. 2. cap. 10. de gest. Langob.

\*\*\*\* Ingomer (al. Ignomer) primus ex legitimo connubio filius, in albis, ut tunc dicere solebant, mortuus. Turonensis lib. 2. cap. 29. De ritu in albis constituendi vid. post Ambrrosium Rabanus Maurus, l. 1. cap. 29. de instr. Cler. ex eoq. Gratianus part. 3. dist. 4. cap. 9.

THEODEBERTVS.

THEODOALDVS. GUNTARIVS. CLODOALDVS. Vid. Turon. lib. 3. cap. 18. et Aimoinus lib. 2. cap. 4. et 17. Duo horum a patris Clothario et Childeberto occisi: tertius Clodoaldus fuga elapsus, Ordini sacro se addixit.

THEODEBALDVS ἀπαις, qui haeredem scripsit Clotharium, qui utramq; Burgundiam cum regno Francogalliae coniunxit, extinctaque Theoderici propagine, IIX. Burgundiae Rex evasit. In progeie Theoderici corrigendus est Gervasius Tiberiensis ex Aimoino, lib. 2. cap. 2.

CHARIBERTVS. Rex Paris. pellicum amori deditus, sine filiis decessit, Tur. l. 4. cap. 26. Aimoinus l. 3. cap. 2.

SIGEBERTVS. Rex Aufrasiarum.

CHILPERICVS. Rex Svesfionum.

GUNTAMNVS. Rex Aurelianorum sine liberis decessit, et Childebertum ex fratre nepotem instituit heredem.

CHILDEBERTVS.

THEODERICVS. THEODEBERTVS. V. Aim. l. 3. c. 84.

THEODEBERTVS. MEROVAEVS. CLODOVAEVS. CLOTHAR. II. qui omnia Franciae regna rursus coniunxit.

SIGEBERTVS. CORBVS. CHILDEBERTVS. MEROVAEVS. ex pellice suscepti, atq. adeo a successione per Clotharium II. exclusi. Aimoin. libr. 3. cap. 89. 91. 93. et libr. 4. cap. 1.

DAGOBERTVS M. ARIBERTVS.

MEROVAEVS, filii naturales, a patre Theoderico occisi, Aimoinus lib. 3. cap. 98.

CLODOVAEVS II. SIGEBERTVS, filius natus. vid. epit. Franc. c. 44.

CLOTHARIVS III. sine filiis decessit.

CHILDERICVS. nullus reliquit liberos.

THODERICVS.

CLODOVAEVS III. CHILDEBERTVS II.

DAGOBERTVS II. CLOTHARIVS IV.

THEODERICVS III. al. II. Cala dictus, a Monasterio, in quod abreptus fuerat.

CHILDERICVS III. Rex Merovingorum ultimus, V. annal. Franc. ad ann. 752.

I. Reges Franco-Merovingos discordia, crudelitas, libido, ignavia evertit. II. Discordiae materiam dedit regni divisio. III. Reginae illi regno utiles, et niciofae fuerunt: inter illas Clothildis raro quodam exemplo eluxit: inter has praecipua discordiarum et seditionis habebat fuerunt Brunehildis et Fredegundis. IV. Regnum maxime crevit auspicio ductuque Clodovaei M. a cuius virtute posterum non feliciter deflexerunt: atque hinc intelligitur causa stomachi et delarum Turonensis lib. 5. a principio, collat. epitome Francorum cap. 44. V. Ab eo tempore, quo Theodericus et Theodebertus ab avia Brunehilde ad Clotharium instigati sunt, fatalia deinceps et inter fratres coepta, ac nunquam sincere sopita odia, committente eos inter se Clothario II. cum adoleverit, damnaeque ab iis sibi illatum aliter ulcisci non posset. VI. Hinc aemulationis invidiaeque exemplum ad successores suumque nomine transmissum est. VII. Omnia cura, regiae auctoritatis, regniq. tandem iacturam fecerunt. Cuius conversionis haud laetum initium in Clodovaeo II. apparuit, ep. Franc. c. 44. IIX. s filius Theodericus Monacho, quam regi similior, Theoderici III. et Childerici III. fortunae prolusit, ut regni infulas cum circullo committerent, et morum temporum in monasterium, velut in custodiam, mitterentur. IX. Dum ita hi reges monachos magis, quam reges, potestate contentis exemplum in se prescere interim praefecti Palatii, quos maiores domus vocant, Proceresque indignari, et acerbe consulere in reges, hincque contentis exemplum in se statuere coeperunt, designato quodam Chilperico Daniele, qui continuam Merovingorum successione interrupta, hincque hinc regnum ante homines, ius instaurata est, quam regnum Childerico sede moto, et in monasterium raptum, ad Carolingos deferretur. Funda mentum regni Caroli Marcellus, P. eristallii ex Plectrude filius, quem Gregorius II. et Gregorius III. Pontifices per legatos de auxilio contra Langobardos ferendo appellaverunt, proceres omnem regni potestatem, praeter nomen regis, tenebat. Hinc in literis a Gregorio III. scriptis Domini proceres, qui Caroli Marcellus, P. inter hos Iohannes Busfierius, et per plures. Nam Monachus Egolesimensis, omni exceptione maior, et Chronicon Merovingorum monumentumque aliis firmant, Theoderico III. al. II. successisse fratrem Childericum III. Quamquam eius hortatu decem parricidia patrata sunt, tamen ab aliis laudatur, quasi in illa haec crimina fratres per se commiserunt, et non aliter intelligendae sunt, quam quod plurima templa extruxit, opereque cetero sanctissimum pro se, non aliter quam quod plurima templa extruxit, opereque cetero sanctissimum quam ita omnia crimina statim expiarentur, si labi vitiorum polluti, multa et opulenta monasteria edificasset, et cetera.

\* Hoc rege Galliae additum Franciae nomen tradit Isidorus Coccius in Dogoberto cap. 2. Chronica Francorum in Meroveo, Fr. Hottomannus a Filio eius Childerici nomen Francozaliae accepit, ut supra de eius sententia diximus.  
\*\* Iornandi Lodoiu, al. Ludovicus.  
\*\*\* Soror, nupta postea Thoderico Ostrog, in Italia regi. Vid. Turonensis lib. 3. cap. 31. Aimoinus lib. 2. cap. 1. unde corrigendus est Iornandes de reb. Get. p. 147.

GENEALOGIA MARGI  
DURLAC

FRANZISKA

1.	1712	1712
2.	1712	1712
3.	1712	1712
4.	1712	1712
5.	1712	1712
6.	1712	1712
7.	1712	1712
8.	1712	1712
9.	1712	1712
10.	1712	1712
11.	1712	1712
12.	1712	1712
13.	1712	1712
14.	1712	1712
15.	1712	1712
16.	1712	1712
17.	1712	1712
18.	1712	1712
19.	1712	1712
20.	1712	1712
21.	1712	1712
22.	1712	1712
23.	1712	1712
24.	1712	1712
25.	1712	1712
26.	1712	1712
27.	1712	1712
28.	1712	1712
29.	1712	1712
30.	1712	1712
31.	1712	1712
32.	1712	1712
33.	1712	1712
34.	1712	1712
35.	1712	1712
36.	1712	1712
37.	1712	1712
38.	1712	1712
39.	1712	1712
40.	1712	1712
41.	1712	1712
42.	1712	1712
43.	1712	1712
44.	1712	1712
45.	1712	1712
46.	1712	1712
47.	1712	1712
48.	1712	1712
49.	1712	1712
50.	1712	1712
51.	1712	1712
52.	1712	1712
53.	1712	1712
54.	1712	1712
55.	1712	1712
56.	1712	1712
57.	1712	1712
58.	1712	1712
59.	1712	1712
60.	1712	1712
61.	1712	1712
62.	1712	1712
63.	1712	1712
64.	1712	1712
65.	1712	1712
66.	1712	1712
67.	1712	1712
68.	1712	1712
69.	1712	1712
70.	1712	1712
71.	1712	1712
72.	1712	1712
73.	1712	1712
74.	1712	1712
75.	1712	1712
76.	1712	1712
77.	1712	1712
78.	1712	1712
79.	1712	1712
80.	1712	1712
81.	1712	1712
82.	1712	1712
83.	1712	1712
84.	1712	1712
85.	1712	1712
86.	1712	1712
87.	1712	1712
88.	1712	1712
89.	1712	1712
90.	1712	1712
91.	1712	1712
92.	1712	1712
93.	1712	1712
94.	1712	1712
95.	1712	1712
96.	1712	1712
97.	1712	1712
98.	1712	1712
99.	1712	1712
100.	1712	1712

X

PO  
ge  
prim  
liqve

2  
diu an  
ad Vifi  
medio

3  
Iohanne  
Cromer  
ter hos a  
Iodocus

4  
chimus  
penſe la

5  
Reinhol  
in volun  
in recen

6  
Fredro

7  
pruden  
succin  
ſua den  
manice

8  
Zavvac  
Adiung  
vacione  
publica  
Conf. Ia  
eſt, con